hat 10. Bilgel
[illegible]
[illegible]

+

Omnia ad Majorem Dei Ter Optimi Maximi Gloriam.

B. V. M:

Die 13 Aprilis.

In festo S. Hermenegildi Mart. Semidupl.

Capitulum. Beatus Vir qui suffert:

alias: Stabunt Iusti: In utrisq. Vesperis et Laudibus. Hymnus:

Regali Solio fortis Iberiae
Hermenegilde jubar gloria martyrum
Christi quos amor almus
Coeli' dotibus inserit
Ut perstas patiens pollicitum Deo
Servans obsequium! quo potiq. tibi
Nil proponis et arces
Cautus noxia quae placent
Ut motus cohibes pabula qui parant
Surgentis vitij non dubios agens
Per vestigia gressus
Quo veri via dirigit
Sit rerum Dno Jugis honor Patri
Et natum celebrent ora precantium
Divinumq. supremis
Flamen laudibus efferant. Amen.

Oratio

Deus qui B. Hermenegildum martyrem suum coelesti Regno terrenum post ponere docuisti: da quaesumus, nobis eius exemplo per caduca despicere atq. aeterna sectari. Per Dnum:

Ad Matutinum: Hymnus:

Nullis te Genitor blanditijs trahit
Non vitæ capeiris divitis otio
Gemmarumve Nitore
Regnandive cupitudine

Diris non acies te gladij minis
Nec terret perimens carnificis furor.
Nam mansura caducis
Præfers gaudia coelitum.

Nunc nos è superum protege sedibus
Clemens atq preces dum canimus tua.
Quâ sacram hodie palmam
Pronis auribus excipe

Sit rerum Dño jugis honor Patri
Et natum celebrent ora precantium
Divinumq supremis
Flamen laudibus efferant: Amen.

In Imo Noct. si celebretur in duadr: Tres lectiones de coi pluri. m dolij: sivi post pasha. de Feria occur:

In IIdo Nocturno:

Ex Lib: dialogorũ S Gregorij Papæ lib 3: cap 31.

Hermenegildus Rex Leovigildi Regis Visigothorum filius ab Ariana hæresi ad fidem catholicam viro Rndissimo Leandro Hispalensi Epô dudum mihi in amicitijs fa-

#

miliariter juncto praedicante conversus est.
Quem Pater Arianus ut ad eandem haeresim
rediret et praemiis suadere et minis terrere
conatus est: Cumque ille constantissime res-
ponderet nunquam se veram fidem posse relin-
quere quam semel agnovisset: iratus Pater
eum privavit Regno rebusque expoliavit omnibus.
Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire
valeret in arcta illum custodia concludens
collum manusque illius ferro ligavit. Caepit itaque
Hermenegildus Rex Juvenis terrenum Regnum
despicere et forti desiderio coeleste quaerens
in ciliciis vinculatus jacens omnipotenti Deo ad
confortandum se preces effundere tantoque subli-
mius gloriam transeuntis mundi despicere quanto
et religatus agnoverat nihil fuisse quod potuerit
auferri. ℟ Ioneshem:

Huper veniente autem paschalis festivitatis
die intempestae noctis silentio ad eum perfidus
Pater Arianus Episcopum misit ut ex ejus manu sa-
crilegae consecrationis communionem perciperet atque
per hoc ad Patris gratiam redire mereretur,

#

sed Vir Dei sedi Arriano Epo venienti expro-
brauit ut debuit ejusq à se perfidia digne in-
crepationib, repullit. Quia etsi exterius jacebat
Legatus, quieshe tamen in magno mentis culmine
stabat securus. Adhe itaq reverso Epo Arianus
Pater infremuit statimq suos apparitores misit
qui constantissimum Confessorem Dei illuc ubi
jacebat occiderent qd et factum est. Nam mox
ut ingressi sunt secuirim cerebro ejus infigentes
vitam corporis abstulerunt hocq in eo valuerunt
perimere qd ipsum quoq qui peremptus est
ipse constiterat despexisse. Sed pro ostendenda
vera ejus gloria superna quoq non defuere
miracula. Nam capit in nocturno silentio psal-
modia cantus ad corpus ejusdem Regis et mar-
tyris audiri atq ideo veraciter Regis quia et mar-
tyris: R. Desiderium.

Quidam etiam ferunt qd illuc nocturno
tempore accensa lampades apparebant. Unde et
factum est quatenus corpus illius ut videlicet
martyris jure à cunctis fidelib, venerari de-
buisset. Pater verò perfidus et parricida
commotus poenitentia hoc fecisse se doluit nec
tamen usq ad obtinendam salutem poenituit
Nam quia vera esset catholica fides agnovit

#

Sed gentis suae timore perterritus ad hanc pervenire non meruit. Qui oborta aegritudine et ad extrema perductus est et Leandro Epó quem prius vehementer afflixerat Reccaredum Regem filium suum quem in sua haeresi relinquebat commendare curavit ut in ipso quoque talia faceret qualia et in fratre suis exhortationibus fecisset. Quâ commendatione expletâ defunctus est. Post cujus mortem Reccaredus Rex non Patrem perfidum sed fratrem martyrem sequens ab Arianae haereseos pravitate conversus est totamque Visigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem ut nullum in suo regno militare permitteret qui regni Dei hostis existere per haereticam pravitatem non timeret. Nec mirum quod verae fidei praedicator factus est qui frater est martyris cujus hunc quoque merita adjuvant ut ab omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. R. Stola jucun:

In 3o Noct: Si quis venit ad me si celebretur

in Laud: Nona Lectio Dom: fer: cur:

L. M. D. G.

3

Die 9.^a Martij

Oratio

Deus qui Beatam Franciscam famulam tuam inter caetera gratiae tuae dona familiari Angeli consuetudine decorasti: concede quaesumus ut intercessionis ejus auxilio Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dnum.

In 2.do Nocturno:

Francisca nobilis matrona Romana ab ineunte aetate illustria dedit virtutum exempla: Etenim pueriles ludos, et illecebras mundi respuens solitudine et oratione magnopere delectabatur. Undecim annos nata Virginitatem suam Deo consecrare et monasterium ingredi proposuit. Parentum tamen voluntati humiliter obtemperans Laurentio de Pontianis juveni aeque diviti ac nobili nupsit. In Matrimonio arctioris vitae propositum quantum licuit, semper retinuit, a spectaculis conviviis aliisque hujusmodi oblectamentis abhorrens, lanea ac vulgari veste utens: et quidquid a domesticis curis supererat temporis orationi aut proximorum utilitati tribuens in id vero maxima sollicitudine incumbens ut matronas Romanas a pompis saeculi et ornatus vanitate revocaret. Quapropter domum oblatarum sub Regula sti Benedicti Congregationis Montis Oliveti adhuc viro alligata in Urbe instituit. Viri exil

bonorum jacturam ac universae domus moerorem
non modo constantissime toleravit, sed gratias agens
cum beato Job illud frequenter usurpabat
Dns dedit Dns abstulit sit nomen Dni benedic-
tum. R. propter Veritatem et mansuetudinem

Lectio Quinta.

Viro defuncto ad praedictam oblatarum domum
convolans nudis pedibus fune ad collum alligato
humi prostrata multis cum lacrymis earum
numero adscribi suppliciter postulavit. Voti
compos facta licet esset omnium Mater non alio tamen
quam Ancillae vilissimaeque foeminae et immundissimi
Vasculi titulo gloriabatur suam vilem sui ex-
istimationem et verbo declaravit et exemplo. Saepe
enim e suburbana vinea revertens et lignorum
fascem proprio capiti impositum deferens vel
eundem onustum agens per urbem asellum pau-
peribus subveniebat, ad quos etiam largas elee-
mosinas erogabat, aegrotantesque in Xenodochiis visi-
tans non corporali tantum cibo, sed salutaribus moni-
tis recreabat. Corpus suum vigiliis jejuniis Ali-
cijs ferreo cingulo crebrisque flagellis in ser-
vitutem redigere jugiter satagebat. Cibum
illi semel in die herba et legumina, aqua
potum praebuit. Hos tamen corporis cruciatus

aliqñdo Confessarij mandato à cujus ore n... pendebat modicè temperari. Ab Alexius

Lectio Sexta.

Divina mysteria præsertim verò Xti Dñi Passionem tanto mentis Ardore tantaq. Lachrymarum Vi contemplabatur ut præ doloris magnitudine penè confici videretur: Sæpe in adoraret maximè sumpto Eucha. Sacramento Spiritu in Deum elevata ac Coelestium contemplatione rapta imobilis permanebat. Diaboles humani generis hostis varijs eam contumelys ac verberibus à proposito dimovere conabatur quem tn illa imperterrita semper elusit Angeli præsertim præsidio cujus familiari conspectudine gloriosum de eo triumphum reportavit. Grãâ curationum et prophetiæ dono enituit quo et futura prædixit et Cordium secreta penetravit. Infirmos aquâ vel per Rivum decurrentes vel è coelo labentes intactam prorsus dum Deo vacaret, reliquerrent. Modica panis fragmenta quæ vix tribus Sororib. reficiendis fuissent satis eius precib. Dñs multiplicavit et quindecim inde ex saturatis tn̄ supervenerit et canistrum impleverit et aliqñdo earundem Sororum extra Urbem mense Januario ligna parantium sitim recentis Uvæ racemis ex vite in Ar,

tore pendentib[us] mirabiliter obtentis ab inde expleverit Regimentis et miraculis clara migravit ad Dominum anno ætatis suæ Trim, gragesimo Sexto quem Paulus Tertius Pontifex maximus in Sanctorum numerum retulit. R. Fallax gratia. In 3o Noct: Simile est Regnum coelorum: alia ex nec Virg. nec Mar. quod Lect. de Com. fer. cur.

Officium:

S. Stephani Hungariæ Regis

Conf: Semiduplex.

Omnia de com. Conf. non Pont: præter ea quæ hic ponuntur: In hymno Vesp: et Mat: Iste die Lætus.

Oratio:

Concede quæsumus Ecclesiæ tuæ omni-potens Deus ut B: Stephanum Con-fessorem tuum quem regnantem in terris propagatorem habuit: Propugnatorem habere mereatur gloriosum in coelis. Per:

Lectiones Imi Noct: de Scriptura occur:

In IIdo Nocturno.

Lectio 4ta:

Stephanus in Hungariam Christi fidem
et Regium nomen invexit. Regia Corona
à Romano Pontifice impetrata, ejusq. jussu
in Regem inunctus, Regnum Sedi Apostolicae
obtulit: varia pietatis domicilia Romae,
Hierosolymis, Constantinopoli; in Hungaria
Archiepiscopatum Strigoniensem, Epatus decem ad-
mirabili Religione et munificentia fundavit.
Par in pauperes amor et liberalitas, quos
velut JEsum ipsum complectens neminem
â se moerentem ac vacuum unquam dimisit;
quin ad eorum inopiam sublevandam
amplissimis facultatibus erogatis domesti-
cam quoq. supellectilem eximia benignitate
frequenter distribuit. Suis insuper manibus
lavare pauperum pedes, noctu solus et ignotus
nosocomia frequentare, decumbentibus inser-
vire, ac caetera charitatis officia exhibere
consvevit: quarum virtutum merito illius
dextera, resoluto caetero corpore, incorrupta permansit.

R. Honestum.

Lectio 6ta

Orandi studio noctes pene totas ducebat insomnes atq in coelestium rerum contemplatione defixus interdum extra sensus raptus, sublimis in aëra ferri visus fuit: Perduellium conspirationes ac validorum hostium impetus mero prorsus modo non semel orationis praesidio evitavit: Susceptum ex Gisella Bavarica S: Henrici Imperatoris sorore quam sibi matrimonio junxerat Emericum filium tantâ morum disciplinâ taliq pietate erudivit quantam ejus postea sanctitas declaravit! Regni vero negotia ita disposuit ut accitis undiq prudentissimis ac sanctissimis viris nihil unquam sine illorum consilio. molireter. Humillimis interim precibus in cinere et cilicio Deum deprecans ut omne versum Hungariae Regnum antequam è vita migraret Catholicum videre mereretur. Vere propter ingens dilatandae fidei studium illius Gentis Apostolus nuncupatus facta â Romano Pontifice ipsi posterisq Regibus praeferendae Crucis potestate: ℟ Amavit:

Lectio 6ta

Cui Genitricem quam ardentissime venera-
batur amplissimo in ejus honorem constructo
templo Hungariae Patronam instituit, ab eadem
vicissim Virgine receptus in Coelum ipso suae
Assumptionis die, quem Hungari e S. Regis
instituto Magnae Dnae diem appellant. Sacrum
ejus corpus suavissimo fragans odore liquore
coelesti scaturiens inter multa ac varia mira-
cula Romani Pontificis jussu nobiliorem in
Locum translatum est, atque honorificentius con-
ditum. Ejus autem festum Innocentius XI Pont.
Maximus quarto Nonas Septembris ob insignem
Victoriam ab exercitu Leopoldi Imi Romano-
rum electi Imperatoris et Hungariae Regis
eadem die in Buda expugnatione ope di-
vina e Turcis reportatam celebrandum in-
stituit: R. iste homo perfecit:

In 3tio Noct: Homil. S. Ambrosii Epi in Evan:
Homo quidam nobilis abiit in regionem longinq: :
ut in festo S. Ludovici 25 Augusti:

Die 16 Julij

In Festo Commemorationis Solemnis B.V.
Mariae de Monte Carmelo:

Ad Vesperas.

Antiphona: Cap: et Oratio de Laudibus Psalmi ut in parvo officio B.V: Hymnus: Ave maris etc:

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi:

Ad Magnificat Antiphona.

Ave Regina Coelorum Ave Domina Angelorum Salve Radix sancta ex qua mundo lux est orta Gaude Virgo gloriosa super omnes speciosa, Vale ô valde decora et pro nobis Christum exora. Ad Matutinum

Invitatorium. In honorem Beatissimae Virginis Mariae. Jubilemus Domino: Ps: Venite: Hymn: Quem:

In Primo Nocturno.

Antiphona: Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui: Psalmus Domine Deus noster: cum reliquis ut in offi: parvo:

Antiphona: Beata Mater et intacta Virgo gloriosa Regina mundi intercede pro nobis ad Dominum:

Antiphona Dignare me laudare te Virgo Sacrata da mihi virtutem contra hostes tuos.

V. Sancta Dei Genitrix Virgo semper Maria.
R. Intercede pro nobis ad Dnum Deum nrum:
Lectiones Imi Noct: cum Imo et 2do Respon: ut in festo
BV ad Nives 5 Augusti Rs 3ium
R: Continet in Gremio Coelum terramq Re=
gentem. Virgo Dei Genitrix: Proceres comitantur
heriles per quos orbis ovans Chro sub Principe
pollet V. Virgo Dei Genitrix quem totus non
capit orbis in tua se clausit viscera factus homo
Virgo Dei Genitrix etc: Gloria: Virgo Dei etc:

In 2do Nocturno:

Antiphonae et psalmi ut in officio parvo BVMi Noct.
V. Post partum Virgo inviolata permansisti
R. Dei Genitrix intercede pro nobis:

Lectio 4ta

Cum Sacra Pentecostes die Apostoli coelitus
afflati varijs linguis loquerentur et invocato
Augustissimo JESU Nomine mira multa
patrarent: Viri plurimi qui vestigijs Sanctorum
Prophetarum Eliae ac Elisaei insisterant et
Joannis Baptistae praeconio ad Chri adventum
comparati fuerant rerum Veritate perspecta
atq probata. Evangelicam fidem confestim
amplexati sunt ac peculiari affectu quodam

Beatissimam Virginem |: cujus colloquiis ac fa-
miliaritate feliciter frui polvere: | adeo venerari
coeperunt ut primi omnium in eo montis Carmeli
loco ubi Elias olim ascendentem nebulam Virginis
typo insignem conspexerat eidem purissimae Virgi-
ni Sacellum construxerint: R. Sicut cedrus: cis
religis de B.V. ad Nives:

Lectio 5ta

Ad novum ergo Sacellum saepe quotidie con-
venientes ritibus piis precationibus ac laudibus
B.V. velut singularem Ordinis tutelam colebant.
Quamobrem Fratres Beatae Mariae de Monte Car-
melo passim ab omnibus appellari coeperunt |:
eumque titulum Summi Pontifices non modo confir-
marunt sed et Indulgentias peculiares iis, qui eo
titulo vel Ordinem vel fratres singulos nuncu-
parent concessêre: Nec vero nomen et alteram
tantum magnificentissima Virgo tribuit et tutelam
verum et insigne sacri Scapularis quod B. Simoni
Anglico praebuit ut coelesti hac veste Ordo ille
tecer dignosceretur et a malis ingruentibus
protegeretur ac demum cum olim Europa
Ordo esset ignotus et ob id apud Honorium
tertium non pauci pro illius extinctione

4

instarent astitit Honorio noctu purissima Virgo Maria planeque jussit ut institutum et homines benignè complecteretur: R. Qua est ista etc.

Lectio 6ta

Non in hoc tm saeculo Ordinem sibi tam acceptum multis Praerogativis B.V. insignivit, verum etiam aliis (: cum utique et pôa et misericordia plurimum valeat:) Fideles in Scapulari societatem relatos, qui abstinentiam modicam precesque paucas eis pôa scriptas frequentarent, ac pro sui status ratione castitatem coluerint materno plane affectu dum igne purgatorii expiantur solari ac in Coelestem patriam optentissimo quanto ocyssime creditur efferre: Tot ergo tantisque beneficiis Ordo cumulatus solemnem B.V. Commemorationem Ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit. R. Ornatam monilibus etc.

In 3tio Nocturno:

Antiphona: Haec est quae nescivit thorum in delicto habebit fructum in respectione animarum sanctarum: ps: ut in off. B.V. parvo:

Antiphona: Gaude Maria Virgo cunctas haereses sola interemisti in universo mundo:

Antiphona Cum Iucunditate Commemorationem B. Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dnum JESUM Christum:

V. Speciosa facta es et suavis.

R. In delitijs tuis sancta Dei Genitrix:

Lectio S: Evangelij secundum Lucam:

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. Et reliqua.

Hom: Ven: Bedæ Presbyt. Lib 4. cap. 49 Luc 11.

Magnæ devotionis et fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis et Pharisæis Dnum tentantibus simul et blasphemantibus tantâ ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tantâ fiduciâ confitetur, ut et præsentium Procerum calumniam, et futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Si enim caro Verbi Dei secundum carnem nascentis à carne Virginis Matris pronunciatur extranea, sine causa venter, qui eum portâsset, et ubera, quæ lactâssent beatificantur.

℟ Beatam me dicent omnes Generationes Quia fecit mihi Dñus magna qui potens est et sanctum nomen ejus. ℣ Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum Quia fecit etc.

Lectio 8va

Quâ enim Consequentiâ quis caste credatur nutritus cujus semine negatur esse conceptus Cum ex unius ejusdemque fontis Origine Deum Mysticos uterque liquor emanare probatur: nisi forte putanda è Virgo Sementinam sua' catris materiam nutriendo in carne Dei filio Suggerere potuisse, In carnando autem quasi majori et inusitato miraculo minimè potuisse: Sed huic opinioni obstat Apostolus dicens: Quia misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege:

℟ Felix namque es sacra Virgo Maria et omni Laude dignissima. Quia ex te ortus è sol Iustitiæ Xtus Deus noster: ℣ Ora pro populo interveni pro Clero intercede pro devoto fœmineo sexu sentiant omnes tuum Iuvamen quicunque cele, brant tuam sanctam Commemorationem.

Quia etc Gloria. Quia etc

Lectio Nona:

Neq enim audiendi sunt qui legendum pu,
tant natum ex muliere, factum sub lege, sed
factum ex muliere: quia conceptus ex utero
Virginali carnem non de nihilo non aliunde
sed materna traxit ex carne. Alioquin nec verè
filius hominis diceretur qui originem non ha,
beret ex homine: Et nos itaque his contra Eutychen
dictis extollamus vocem cum Ecclia Catholica
cujus hæc mulier typum gessit: Extollamus et
mentem de medio turbarum dicamusq Salvatori
Beatus venter qui te portavit et ubera quæ
suxisti. Verè enim beata parens quæ sicut
quidam ait: enixa ē puerpera Regem qui cœlum
terramq regit per sæcula. Te Deum:

Ad Laudes et per horas.

Antiphona: Pulchra es et decora filia Je,
rusalem terribilis ut castrorum acies ordinata
ps: Dns regnavit cū reliqs
Antiphona: Sicut Myrrha electa odorem
dedisti suavitatis sancta Dei Genitrix:
Antiphona: In odorem Unguentorum tuorum
currimus adolescentulæ dilexerunt te nimis
Antiphona: Benedicta filia tu a Dno quia per
te fructum vitæ communicavimus.

Antiphona: Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix

Capitulum Eccl: 24

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. R. Deo gratias.

Hymnus. O gloriosa Virginum

V. Elegit eam Deus et praeelegit eam.

R. Et habitare eam facit in tabernaculo meo:

Ad Benedictus Antiphona

Ave stella matutina peccatorum medicina mundi Princeps et Regina Virgo sola digna dici contra tela inemici clypeum pone Salutis tua titulum virtutis: Tu es enim Virga Jesse in qua Deus fecit esse Aaron amigdaleum, mundi tollens scandalum. Tu es Area compluta coelesti rore imbuta sicco tamen vellere, Tu nos in hoc carcere solare propitia Dei plena Gratia o Sponsa Dei electa: Tu esto nobis via recta, ad aeterna gaudia ubi pax est et gloria Tu nos semper aure pia dulcis exaudi Maria!

Oratio:

†

Deus qui Beatissimæ Semper Virginis, et Genitricis tuæ Mariæ singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius ut cujus hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præsidijs, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis etc.

Ad Primam

Antiphona. Pulchra es: in Rbrevi Nativitatis B. de Maria Virgine:

Ad Tertiam

Antiphona Sicut Myrrha. Cap: Ego quasi: R. brev: Sancta Dei Genitrix. Virgo semper Maria. Sancta Dei etc: V. Intercede pro nobis ad Dnum Deum nostrum: Virgo semper Maria. Gloria etc: Sancta Dei Genitrix etc.

V. Post partum Virgo inviolata permansisti.
R. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Oratio: ut supra

Ad Sextam.

Antiphona In Odorem: Capitulum
Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum memoria mea in generationes sæculorum.

℟ Post partum Virgo: † Inviolata permansisti: Post partum etc: ℣ Dei Genitrix intercede pro nobis. Inviolata etc Gloria etc Post partum etc

℣ Speciosa facta es et suavis

℟ In delicijs tuis sancta Dei Genitrix.

Ad Nonam

Antiphona: Speciosa facta etc: Capitulum

Qui audit me, non confundetur et qui operantur in me non peccabunt qui elucidant me vitam æternam habebunt.

℟ Speciosa facta es: Et suavis. Speciosa etc

℣ In delicijs tuis sancta Dei Genitrix. Et suavis.

Gloria etc. Speciosa facta es etc

℣ Elegit eam Deus et præelegit eam

℟ Et habitare eam facit in tabernaculo suo.

Oratio ut supra:

Ad 2das Vesp: Ant: Laudate ps: Cap: hym: ut in 1mis:

Ad Magnificat Antiphona:

Alma Redemptoris Mater quæ pervia Cœli porta manes et stella maris succurre cadenti surgere qui curat populo tu quæ genuisti natura mirante tuum sanctum Genitorem Virgo prius ac posterius Gabrielis ab ore sumens illud Ave, peccatorum miserere

Oratio. Deus qui ut supra

A. M. D. G.

17

Die 17 Martij

Officium S: Patritij Epi et Conf:
semiduplex

Oiā de Cōi Conf. Pont: praeter ea quae sequuntur

Oratio.

Deus, qui ad praedicandum Gentibus gloriam tuam B: Patritium Confessorem atq Pontificem mittere dignatus es: ejus meritis et intercessione concede: ut quae nobis agenda praecipis te miserante adimplere possimus! Per Dn:

Et fit Commemoratio feriae occur.

In Primo Nocturno

Lectiones de Epistola 1 B Pauli Apost ad Timoth: Fidelis sermo de Cōi Pont.

In IIdo Nocturno

Lectio IIIa

Patritius Hiberniae dictus Apostolus Calphurnio Patre matre Conchessa sti Martini Turonensis Epi, ut perhibent: consanguinea, majori in Brittannia natus, puer in Barbarorum saepius

incidit captivitatem. Eo in statu pas-
cendis gregibus præpositus jam tum
futuræ sanctitatis specimen præbuit.
Fidei namq divini timoris et amoris
Spu repletus antelucano tempore
per nives gelu, et pluvias ad preces
Deo fundendas impiger consurgebat,
solitus centies nocte Deum orare:
â Servitute sexto exemptus et inter
Clericos relatus in divinis Lectionibus
Longo se temporis exercuit, Gallijs
Italia, Insulisq Tyrrheni maris la-
bore summo peragratis divino tandem
monitu ad Hibernorum salutem
advocatur, et facta â B: Coelestino
Sopra Evangelij nunciandi potestate
consecratusq Epus in Hiberniam
perrexit. R Inveni David:

Lectio 5ta

Eo in munere mirum quod viri Apos-
tolici mala quot ærumnas et labores
quot pertulerit adversarios. Verum

Dei afflante benignitate terra illa idolorum antea cultrix cum mox præ-dicante Patritio fructum dedit ut Sctorum Insula deinde fuerit appellata. Fre-quentissimi ab eo populi sacro sunt rege-nerati Lavacro: Epi Clericiq plurimi ordinati: Virgines ac viduæ ad continentiæ leges institutæ. Armacanam Sedem Romani Pontificis authoritate totius In-sulæ Principem Metropolim constituit Sctorumq reliquijs ab Vrbe relatis deco-ravit. Supernis visionibus prophetiæ dono ingentibusq signis et prodigijs à Deo exornatus adeo refulsit ut longè lateq celebrior Patritij se famâ diffu-derit. Tu Autem. Adjutorium etc.

Lectio 6ta.

Præter quotidianam Ecclarum sollici-tudinem invictum ab oratione Spum nunquam relaxabat. Ajunt enim integrum quotidie Psalterium unà cum Canticis, et Hymnis ducentisq.

orationib9 consuevisse recitare, ter
centies per dies singulos flexis genib9
Deum adorare, ac in qualibet hora diei
Canonica centies se Crucis signo munire.
Noctem tria in spatia distribuens unum
in centum psalmis algidis aquis immers9,
ac corde oculis manibusq ad coelum e=
rectis absolvendis insumebat; tertium
verò super nudum Lapidem stratus
tenui dabat quieti. Humilitatis eximi9
cultor Apostolico more à manuu3 suaru3
Labore non abstinuit. Assiduis tandem
curis pro Ecclâ consumptus Verbo
et opere clarus in Extrema Se=
nectute divinis mysterijs refectus
obdormivit in Dño sepultusq est apud
Dunum in Ultonia à Christiana
salute saeculo quinto: Iste est:

In 3o Nocturno

Lectiões de Com: S Greg: Pap in Evang:
homo peregrè: De Cõi Conf: Pont:
Nona Lectio dicitur de homil: feria ex:
Adeo fit Com: ad Laudes.

Ao 1700 † prima vice celebrata in nova diaecesi.

Oratio

B. V. Maria de Mercede - dupl.

Deus qui per gloriosissimam Filii tui Matrem ad liberandos Christi fideles à potestate Paganorum novâ Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es; praesta quaesumus, ut quam piè veneramur tanti operis Institutricem, ejus pariter meritis et intercessione à peccatis omnibus et captivitate daemonis liberemur. Per eundem Dnum.

In Rdo Nocturno. Lectio 4.

Quo tempore major felicior Hispaniarum pars diro Saracenorum opprimebatur jugo innumerique fideles sub immani servitute maximo cum periculo Christianae fidei

abjuranda, amittendaq; Salutis æter-
nâ infeliciter detinebantur beatissi-
ma coelorum Regina tot tantisq; be-
nigniter occurrens malis nimiam
Charitatem suam in ijs redimendis os-
tendit. Nam Sto Petro Nolasco pie-
tate, ac virtutibus florenti qui sanctis
vacans meditationibus jugiter animo
recogitabat quâ ratione tot Christiano-
rum ærumnis sub Maurorum cap-
tivitate degentium succurri potest, ipsa-
met Beatissima Virgo serena fronte se
conspiciendam dedit et acceptissimum
sibi ac Unigenito suo Filio fore dixit
si suum in honorem institueretur Ordo
Religiosorum quibus cura incumberet
captivos è Turcarum tyrannide liberan-
di, Quâ coelesti visione Vir Dei recre-
atus mirum est quo Charitatis ardore
flagrare coeperit, hoc unum servans

in Corde suo ut ipse ac instituendo ab Eo
Religio maximam illam charitatem sedulo
Exercerent ut quisq animam suam pone,
ret pro amicis et proximis suis.
R. Sicut Cedrus exaltata sum in Libano
et sicut cypressus in monte Sion quasi
myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.
V. Et sicut Cinamomum et balsamum
aromatizans. Dedi etc.

Lectio V.

Ea ipsa nocte eadem Virgo sanctissima
B: Raymundo de Peñafort, et Jacobo Ara,
gonia Regi apparuit consilium de Religiosis
instituendis admonens, suadensq ut omem
pro constructione tanti operis ferrent
Petrus autem statim ad Raymundi pedes
qui ipsi erat a sacris confessionibus advo,
lans Ei rem omem aperuit quem etiam
coelitus instructum reperit ejusq dir,
rectioni se humillime subjecit. At super,
veniens Jacobus Rex quam et ipse accepe,
rat a Beatissima Virgine revelationem
exequi statuit, Ut collatis inter se con,

ilegis et consentientib, animis in honorem
ejusdem Virginis Matris Ordinem instituere
aggressi sunt sub invocatione Sctae Mariae
De Mercede Redemptionis captivorum.
℟ Quae est ista quae processit, sicut Sol et
formosa, tanquam Jerusalem ℣ Viderunt
Eam filiae Sion et beatam dixerunt et Re-
ginae laudaverunt Eam ℣. Et sicut dies
Verni circumdabant Eam flores rosarum et
lilia convallium: Viderunt Eam.

Lectio VI.

Die igitur ~~decima Augusti~~ Anno Dni Mille-
simo ducentesimo decimo octavo Rex idem
Jacobus Eam institutionem jam pridem ab ijsdem
sanctis Viris conceptam coepit statuit sodalib,
quarto Voto adstrictis manendi in pignus sub
Paganorum potestate si pro Christianorum
Liberatione opus fuerit. Quib, Rex ipse arma
sua Regia in pectore deferre concessit et
a Gregorio Nono Ordinem tam praecellentis erga
proximum Charitati institutum et Religi-
onem confirmari curavit, Id et ipse [illegible]
per Virginem Matrem incrementum dedit
ut talis institutio celerius ac felicius

lotum per orbem divulgaretur sanctisq. viris
floruerit Caritate, ac pietate insignibus qui
eelemosynas à Chri fidelibus collectas in gre-
tium redemptioni fratrum proximorum expende-
rent seq. ipsos interdum darent in redempti
onem mallonem - ut autem tanti beneficij et
institutioni debita Deo et Virgini Matri
referantur gratia: Sedes Apostolica hanc pe-
culiarem festivitatem celebrari et officium
recitari indulsit cum alia ferè innumera
Eidem Ordini privilegiá pariter contulisset,
Ex Amalam Pontificij fuam Generalem Tris
concepisset Et videntes eam filiá Syon beata
ipsam praedicaverunt dicentes Unguentum
Afferunt nomen tuum: Astitit Regina à dextris
tuis in vestitu deaurato circumdata vari,
etate. Videntes: Gloria: Unguentum:
In 3° Noct. ℟ VIII Beata es Maria Dei
Genitrix patrona et auxiliatrix nra; cujus
nutu Ordo tua ad fidelium redemptionem in-
stituta est Religio X. Tua Sancta intercess-
sione adjuva nos Virgo immaculata. Cujus:
Gloria: Cujus nutu:

PROPRIA
OFFICIA
Sanctorum
DIOECESIS
WRATISLAVIENSIS.

Ex approbatis à Sede Apoſtolica ad uſum Breviarii Romani.

Sereniſſimi & Reverendiſſimi Principis ac Domini, Domini

LEOPOLDI
GUILIELMI

Archiducis Auſtriæ &c. Epiſcopi Wratislavienſis.

Juſſu & Auctoritate edita.

Reimpreſſa Niſſæ
Typis Chriſtophori Lertz, Civitatis Typographi. 1684.

LEOPOLDUS GUILIELMUS
DEI GRATIA ARCHIDUX AUSTRIÆ, EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, &c.
Universo Diœcesis Clero Salutem.

INter ceteras Episcopalis nostri Officii sollicitudines, quibus Ecclesiarum Diœcesis universæ ordinem quomodolibet augere, ac promovere desideramus, in illas maximè intendimus, quibus Dei & Sanctorum honor & cultus quovis modo promoveatur. Quò imprimis pertinere, & spectare dignoscimus Officium Horis Canonicis comprehensum eâ ratione persolvendum in hac Diœcesi nostra proponere, ut recepto Breviario Romano & illos etiam Sanctos, quos Diœcesis Wratislaviensis magnos jam olim experta & venerata est Patronos, quisq; debito honore & cultu prosequatur: Attendentes verò dicta Sanctorum Officia, ad morem quidem & consvetudinem Romani Breviarii disposita & Apostolicæ Sedis plenitudine jam alibi confirmata & roborata, sed hac in nostra Diœcesi nunquam promulgata, neq;

sic conquisita, nisi jam in hanc orandi & psallendi normam reducta esse. Proinde Nos de universi Nostri Capituli consilio eadem Officia in hanc libelli formam (in qua & alia nova Sedis Apostolicæ tam pro libitu, quàm de præcepto persolvenda cuivis, apposita sunt) redigi, Nostrísque impensis, Typis evulgari jussimus. Hortamur itáq; universum nostræ Diœcesis Clerum, & paternè admonemus, ut omnes & singuli, quibus Horas Canonicas persolvendi debitum incumbit, tam publicè quàm privatìm Ritum Romanum sequantur, Divinum cultum, nostrámq; Clementissimam voluntatem per hoc adimpleturi; facturiq;, ut per hoc laus & gloria Dei, quam hoc nostro decreto unicè intendimus, tanquam à pulcherrimo ordine originem trahens, exoriatur: & quos locorum distantia Vineæ Domini in amplissimo hoc nostro Episcopatu, corporibus separat, una eademq; conjungat Oratio, fructúsq; afferat Reipublicæ nostræ Ecclesiasticæ longè uberrimos, 1662.

CALEN-

CALENDARIUM
SS. Patronorum Diœcesis Wratislaviensis.
JANUARIUS.

22. S. Vincentii Lev. Mart. *dupl. 1. Claß.*
S. Anastasii Mart. *semid.*
23. Desponsatio B. V. MARIÆ cum S. Joseph. *duplex.*
S. Raymundi de Pegnafort Conf. *semid.*
29. Octava S. Vincentii Mart. *duplex.*

FEBRUARIUS.

1. Com. S. Brigidæ Virg.
3. S. Blasii Episc. & Mart. *semidupl.*
6. S. Dorotheæ V. M. *duplex.*
8. S. Joannis de Matha Conf. *duplex. cum* com. S. Helenæ Viduæ.
10. S. Scholasticæ Virg.
12. S. Evlaliæ Virg. & Mart.
14. S. Valentini Presbyt. & Mart. *semid.*
16. S. Julianæ Virg. & Mart.

MARTIUS.

3. S. Cunegundis Virg.
5. Translatio S. Wenceslai Mart. *semid.*
17. S. Gertrudis Virg. *semidupl.*

Septem

Septem Dolorum B. M. Virg. Fer. 6. *post* Dom. Pass.

APRILIS.

2. Com. S. Mariæ Ægyptiacæ.
23. S. Adalberti Episc. & Mart. *duplex majus.*
23. S. Georgii Mart. *duplex.*

MAJUS.

1. Com. S. Walpurgis Virg.
4. S. Floriani Mart. *semidupl.*
5. S. Gothardi Episc, & Confess. *duplex.*
7. S. Stanislai Episc. & Mart. *dupl. majus.*
13. S. Servatii Episc. Conf.
31. SS. Cancii, Canciani, & Cancianillæ Mart. *duplex majus.*

SS. TRINITATIS *dupl. 1. Claß. cum* Oct.

JUNIUS.

3. S. Erasmi Episc. & Mart. *duplex.*
7. S. Vincentii Episc. & Mart. *semid.*
16. S. Bennonis Episc. & Conf. *dupl.*
22. SS. Decem Millium Martyrum *dupl.*
25. Commemor. S. Joannis Apost. & Evangel. *duplex 2. Classis.*

JULIUS.

2. Visitat. B.M.V. *dupl. 1. Claß. cum.* Octav.
3. Translatio S. Thomæ Apostoli *duplex.*
4. S. Udalrici Episc. & Confess.

7. Com.

7. Com. S. Wilibaldi Epiſc. Confeſs.
8. S. Margaritæ Scotorum Reginæ *ſemid.* com. SS. Kiliani & Soc. M.
12. S. Joannis Gualberti Abbatis. *duplex.*
13. S. Margaritæ Virg. & Mart. *dupl. majus.*
15. Diviſio Apoſtolorum. *duplex majus.*
27. S. Chriſtophori Mart. *ſemidupl.*
29. S. Marthæ Virg. *duplex.*

AUGUSTUS.

8. Commemor. S. Afræ Mart.
16. S. Hyacinthi Confeſs. *duplex majus.*
23. S. Philippi Bennitii Conf. *ſemidupl.*
25. Translat. S. Hedwigis Vid. *dupl.*
30. S. Roſæ Limanæ Virg. *duplex.*

SEPTEMBER.

Dom. primâ Sept. Feſtum S. Angeli Cuſtodis. *dupl. 2. Claßis. cum* Octava.
1. S. Ægidii Abbatis. *ſemidupl.*
6. S. Magni Abbatis.
8. Nativitas B. M. V. *dupl. 1. Claßis.*
10. Com. S. Corbiniani Epiſc. Confeſs.
18. S. Lamperti Epiſc. & Mart. *ſemid.*
24. S. Ruperti Epiſc. Conf.
27. Translat. S. Stanislai Ep. & M. *dupl.*
28. S. Wenceslai Mart. *dupl. majus.*

OCTOBER.

10. SS. Gereonis & Soc. Mart.
13. S. Edvardi Regis Confess. *semidupl.*
15. S. Hedwigis Viduæ Patronæ Siles. *dupl. 1. Classis. cum* Octava.
16. Com. S. Galli Abbatis.
21. SS. Ursulæ & Soc. Virg. Mart. *dupl.*
23. S. Severi Episc. Confess.
24. S. Severini Episc. Confess.
30. SS. Crispini & Crispiniani Mart.
31. S. Wolfgangi Episc. & Conf. *duplex.*

NOVEMBER.

Dom. post Octavam Omnium SS. Festum B. V. MARIÆ de Victoria.
6. Com. S. Leonardi Abbatis.
10. S. Lazari Episc. & Mart. *duplex.*
11. S. Martini Ep. Conf. *dupl. 2. Class. cum* Oct.
13. S. Didaci Confess. *semid.* Com. S. Bricii Episc. Confess.
16. Com. S. Othmari Abbatis.
20. S. Felicis de Valois Confess. *dupl.*
30. S. Andreæ Apost. *dupl. 2. Class. cum* Oct.

DECEMBER.

4. S. Barbaræ Virg. & Mart. *dupl. majus.*
6. S. Nicolai Pont. & Confess. *dupl. majus.*
8. Concept. B. V. M. *dupl. 1. Class. cum* Oct.

OFFICIUM.
DE SANCTISSIMO NOMINE
B. MARIÆ VIRGINIS,
Duplex Majus de Præcepto.

Omnia ùt in Festo S. MARIÆ ad Nives, præter Orationem & Lectiones II. & III. Nocturni.

AD VESPERAS.

Antiph. Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo Sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tui Sancti Nominis commemorationem.

ORATIO.

COoncede, quæsumus, omnipotens DEUS, ut Fideles tui, qui sub Sanctissimæ Virginis MARIÆ Nomine, & protectione lætantur, ejus pia Intercessione, à cunctis malis liberentur in terris, & ad Gaudia æterna pervenire mereantur in Cœlis. Per Dominum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones ùt in Festo S. MARIÆ ad Nives.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV. Sermo 8. S. Bernardi Abbatis.

Ex hom. 2. super Missus est, circa finem.

ET Nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca, & super hoc Nomine, quod interpretatum Maris Stella dicitur, & Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè sideri comparatur, quia sicut sinè sui corruptione

ſidus ſuum emittit radium, ſic absque ſui læſione Virgo parturivit Filium. Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur illa Stella ex Jacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipſa, inquam, eſt præclara, & eximia Stella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans Exemplis.

Lectio V.

O Quisquis te intelligis in hujus Sæculi profluvio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, nè avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum reſpice Stellam, voca MARIAM. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice Stellam, voca MARIAM. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, Judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita MARIAM.

Lectio VI.

IN periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus oratio-

tionis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ Duce non fatigaris; ipsâ propitiâ pervenis, & sic in temetipso experiris, quam meritò dictum sit; & Nomen Virginis MARIA. Quod quidem Venerabile Nomen, jam pridem in quibusdam Christiani Orbis partibus speciali Ritu cultum INNOCENTIUS XI. Romanus Pontifex, ob insignem Victoriam, sub ejusdem Virginis Mariæ præsidio de immanissimo Turcarum Tyranno, cervicibus Populi Christiani insultante, Viennæ in Austria partam, & in perenne tanti beneficii monumentum in Ecclesia universali singulis annis Dominicâ infrà octavam Nativitatis B. Virginis Mariæ celebrari præcepit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à DEO in Civitatem Galilææ, cui Nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui Nomen erat Joseph de Domo David, & Nomen Virginis MARIA, &c.

Ex Hom. S. Petri Chrysol. Serm. 142. de Annunc.

AUdistis hodie Fratres charissimi, Angelú cum Muliere, de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum MARIA Angelus de Salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina; Audistis Angelum

gelum de carnis noſtro limo Templum Divinæ Majeſtatis arte ineffabili conſtruentem. Audiſtis in terris DEUM, in Cœlis hominem Sacramento incomprehenſibili, collocari. Audiſtis inauditâ ratione in uno Corpore DEUM, hominémque miſceri. Audiſtis fragilem noſtræ carnis naturam, ad portandam totam Deitatis gloriam Angelicâ exhortatione roborari.

℞. Felix namq; es Sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima. * Quia ex te ortus eſt Sol Juſtitiæ Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro Populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo Sexu: Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te, &c.

Lectio VIII.

DEnique nè tanto ponderi cœleſtis fabricæ in Maria ſubtilis noſtri corporis arena ſuccumberet, & in Virgine totius Generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum, vox Angeli mox præceſſit dicens: Nè timeas Maria: ante cauſam Dignitas Virginis annunciatur ex nomine; nam Maria ex Hebræo Sermone latinè Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominationis Genitricem trepidatio deſerat ſervitutis, quam naſci, & vocari Dominam Ipſa ſui germinis fecit, & impetravit auctoritas: Nè timeas Maria, inveniſti enim gratiam. Verum eſt, quia qui invenit gratiam, neſcit timere. Inveniſti gratiam.

Lectio IX. De Homilia Dominicæ occurrentis. Si autem idem Officium juxta Rubricas Breviarii Romani transferendum ſit; nona Lectio ſumatur eo anno ex Officio B. Mariæ in Sabbato Menſis Septembris.

Die X. Maij.

OFFICIUM S. ANTONINI
Episcopi & Confessoris.

Semiduplex. Ad libitum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter Orationem, & Lectiones quæ sequuntur.

ORATIO.

SAncti Antonini Domine Confessoris tui, atque Pontificis meritis adjuvemur: ut sicut te in illo mirabilem prædicamus; ità in nos misericordem fuisse gloriemur: Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

ANtoninus Florentiæ honestis parentibus natus, ab ipsa jam pue-

pueritia egregium futuræ ſanctitatis ſpecimen exhibuit. Annum agens ſextum decimum, Religionem Prædicatorum amplexus, cœpit exinde maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum bellum indixit, poſt nocturnum brevem ſomnum, primus matutinis precibus aderat; quibus perſolutis, reliquum tempus noctis orationibus, aut certè Lectioni, & ſcriptioni librorum tribuebat, & ſi quando importunior feſſis membris ſomnus obreperet, ad parietem paululùm declinato capite, ac tantiſper diſcuſſo ſomno, mox ſacras vigilias avidiùs repetebat. Reſp. *Inveni David, &c.*

Lectio V.

DIſciplinæ regularis ſui ipſius ſeveriſſimus exactor, carnes, niſi in gravi ægritudine, nunquam edit. Hu-

Humi, aut in nudo tabulato cubabat: cilicio ſemper uſus, & interdum zonâ ferreâ ad vivam cutem incinctus, virginitatem integerrimè ſemper coluit. In explicandis conſiliis tantæ dexteritatis fuit, ut communi elogio Antoninus conſiliorum diceretur. Adeò autem in eo humilitas enituit, ut etiam Cœnobiis, ac Provinciis præfectus abjectiſſima Monaſterii officia demiſſiſſimè obiret. Ab Eugenio IV. Florentinus Archiepiſcopus renunciatus, ægerrimè tandem, nec niſi Apoſtolicis minis perterrefactus, ut Epiſcopatum acciperet, acquievit. Reſp. *Poſui adjutorium, &c.*

Lectio VI.

IN eo munere vix dici poteſt, quantùm prudentiâ, pietate, charitate, manſuetudine, & ſacerdotali zelo excelluerit. Illud mirandum, tantum in-

ingenio valuiſſe, ut omnes fermè ſcientias per ſe nullo adhibito præceptore abſolutiſſimè didicerit. Tandem poſt multos labores, multis etiam editis inſignis doctrinæ libris, Sacra Euchariſtiâ, & Unctione percepta complexus Crucifixi imaginem, mortem lætus aſpexit ſexto nonas Maij milleſimo, quadringenteſimo quinquageſimo nono. Miraculis vivens, & poſt mortem conſpicuus, Sanctorum numero adſcriptus eſt ab Adriano VI. anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio. Reſ. *Iſte eſt qui ante &c.*

In tertio Nocturno Homilia in Evangel. Homo peregrè proficiſcens. *de Communi Confeſſoris Pontificis.*

FESTA JANUARII.

Die XXII. Januarii.

IN FESTO S. VINCENTII Martyris. *Duplex.*

ORATIO.

ADesto quæsumus Domine supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Vincentii Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum. &c.

In I. Nocturno.

Lectiones *de libro Ecclesiastici Cap.* 51.

COnfitebor tibi Domine Rex, &c. *ut in festo S. Agnetis V. M. 21. Januarii. mutato fœminino in masculinum, vel ut in festo S. Laurentii M.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

VIncentius, Oscæ in Hispania citeriore natus, à prima ætate studiis deditus, sacras literas à Valerio Cæsaraugustano Episcopo didicit: cujus etiam partes suscepit prædicandi Evangelium, quòd Episcopus propter lingvæ impedimentum, prædicationis officio fungi non poterat. Eâ re ad Dacianum, provinciæ à Diocletiano, & Maximiano præpositum delatâ, Vincentius Cæsaraugustæ

 com-

comprehenditur, & vinctus ad Dacianum Valentiam adducitur. ℟. *Honestum fecit illum.*

Lectio V.

UBi verberibus, & equuleo tortus, multis præsentibus, cùm nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum à proposito deterreri posset; in craticula impositus prunis ardentibus suppositis, ac ferreis ungvibus excarnificatus, candentibúsq; laminis exustus, iterum ducitur in carcerem stratum testaceis fragmentis, ut ejus nudum corpus, somno oppressum, à subjectis etiam testarum aculeis torqueretur. Verùm illo in tenebricosa incluso custodia, clarissimus splendor obortus totum carcerem illustravit: quæ lux cum summa admiratione omnes, qui aderant, affecisset; res à custode carceris ad Dacianum defertur. ℟. *Desiderium.*

Lectio VI.

QUi eductū in molli culcitra collocat: & quem cruciatibus in suam sententiam trahere non poterat, deliciis perducere conatur. Sed invictus Vincentii animus JESU Christi fide speque munitus vicit omnia: & ignis, ferri, tortorum immanitate superatâ, victor ad cœlestem martyrii coronam advolavit, undecimo Kalendas Februarii. Cujus corpus, cùm projectum esset inhumatum, corvus, & à volucribus, & à lupo, ungvibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Qua re cognita, Dacianus illud in altum mare demergi jubet: sed inde etiam divinitùs ejectūm ad littus, Christiani sepeliunt. ℟. *Stola jucunditatis.* In III.

In III. Nocturno.

Antiph. Justus Dominus &c. *cum reliquis, ut in communi unius martyris. Psalmi verò dicuntur, ut in 3. Nocturno S. Laurentii martyr. assignantur. 10. Augusti. Lectiones dicuntur ut in Romano In festo S. Ignatii Ep. M. 1. Februarii.*

Ad Laudes, & Horas. *omnia de comm. unius mart.*

Ad Missam Introitus Lætabitur Justus. *Ut in comm. unius Mart. non Pontificis.*

Evangelium. Nisi granum frumenti. *ut in dicto festo S. Ignatii.*

Die XXII. Januarii.

IN FESTO
S. ANASTASII
Martyris. *Semiduplex.*

ORATIO.

DEus, qui nos beati Anastasii Martyris tui annua solennitate lætificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV. ut in Romano 22. Januar. Anastasius Persa: &c.

Lectio V. & VI.

De Sermone S. Augustini Ep. serm. 44. de Sanctis. Triumphalis &c. *ut in Com. unius Martyris.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evang. Si quis venit ad me &c. *ut in Com. unius Martyris.*

Ad Missam Introitus. In Virtute tua. *Evangelium.* Si quis venit ad me.

Die XXIII. Januarii.

IN FESTO Desponsationis B. V. MARIÆ cum S. Joseph. *Dupl.*

Ad Vesperas.

Antiph. Desponsatio gloriosæ. *Cum reliquis de Laud. Psal. Cap. Hym. de* B. Maria, *ut in ejus offic. parvo.*

℣. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnif. Antiph. Gloriosæ Genitricis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus, quæ & Genitricis dignitatem obtinuit, & Virginalem pudicitiam non amisit.

ORATIO.

FAmulis tuis quæsumus Domine cœlestis Gratiæ munus impertire: ut quibus B. Virginis partus

partus extitit ſalutis exordium, Deſponſationis ejus votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Ad Matutin. Invit. Deſponſationem Virginis Mariæ celebremus, * Chriſtum ejus Filium adoremus Dominum. *Pſalm.* Venite. *Hymnus, Antiph. Pſalmi Noct. ut in Officio parvo beatæ Mariæ.*

In I. Nocturno.

Lectiones dicuntur, ut in Feſto Nativ. B. V. Mariæ 8. Septemb.

℟. 1. Hodie Deſponſata eſt Beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam ſalus mundi Credentibus apparuit, cujus vita glorioſa lucem dedit ſæculo. ℣. Deſponſationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Cætera Reſp. dicuntur ut in feſto Nativitatis B. Mariæ, præterquam, quod loco Verb. Nativitas, *ponatur* Deſponſatio *&c.*

In II. Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Ex homil. 2. ſuper Miſſus eſt.*

Lectio IV.

OPortebat à principe mundi aliquamdiu celari Divini conſilii Sacramentum: non quòd Deus, ſi palam opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab illo metueret; ſed quia ipſe, qui non ſolùm potenter, ſed etiam ſapienter, quæcunq; voluit, fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem ſervare conſuevit: ita in hoc,

quoq; tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. ℟. *Desponsatio gloriosæ Virg.*

Lectio V.

COnveniens ergo erat, ut suaviter quoq; omnia, cœlestia scilicet, & terrena disponeret, quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis & mansvetudinis valdè necessarium exemplum relinqueret: Sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut & suis svavis, & hostibus fortis appareret. ℟. *Cum jucunditate Desponsationem.*

Lectio VI.

QUid enim prodesset, diabolum à DEO vinci, nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à Sponso Virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ providetur. Quid sapientius? quid digniùs Divina providentia? Uno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matris. ℟. *Desponsatio tua DEI Genitrix.*

In III. Nocturno.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri in Evangelium.

Cùm

Cùm eſſet deſponſata Mater JESU Maria Joſeph. *Ut in Feſto S. Joſeph. XIX. Martii.*

Ad Laudes.

Et per horas Antiphonæ.

Deſponſatio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex ſtirpe David.

Antiph. Deſponſatio eſt hodie S. Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Antiph. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente, & ſpiritu devotiſſimè poſcimus.

Antiph. Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra Solennitate præcelſæ Genitricis DEI Mariæ.

Antiph. Cum jucunditate Deſponſationem beatæ Mariæ celebremus, ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Jeſum Chriſtum.

~~*Capitulum, &*~~ *Hymnus, ut in Officio parvo B. V. M.*

℣. Deſponſatio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Benedictus Antiph. Deſponſationem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis DEI Mariæ ſolenniter celebremus, qua celſitudo throni proceſſit, Alleluja.

ORATIO.

Famulis tuis quæſumus. *Ut in primis Veſperis.*

Cætera ut in Officio B. Mariæ in Sabbatho.

In ſecundis Veſperis, omnia dicuntur, ut in primis.

 Antiph.

Antiph. ad Magnif. Desponsatio tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol Justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

Die XXIII. Januarii.
IN FESTO
S. RAYMUNDI de Pegnafort, Confess. *Semidupl.*

Omnia de Com. Confess. non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Raymundum Pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrũ elegisti, & per maris undas mirabiliter traduxisti: Concede, ut ejus intercessione dignos Pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ Salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum, &c.

Lectiones I. Nocturni de lib. Ecclesiastici. Sapientiam omnium antiquorum, ut in communi Doctorum.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

RAymundus Barcinonæ in Hispania ex nobili familia de Pegnafort originem duxit, prima in pueritia Religionis Christianæ rudimentis imbutus eximia jam tunc corporis, & animi indole ad virtu-

virtutem, & pietatem in dies magìs augebatur. Adoleſcens Bononiæ Pontificio,Civilique Jure incumbens Doctoris laureâ decoratus, Sacros Canones publicè magna cum hominũ admiratione eſt interpretatus. Jam inde clarâ tanti viri famâ per Italiam increbreſcente,à Barcinonenſi Epiſcopo in patriam reductus, Eccleſiæ canonicatu ornatur. Eâ dignitate auctus,magno integritatis,& doctrinæ ſplendore,modeſtiâ,morum ſuavitate fulſit. Erga Deiparam Virginem ſingulari affectu ducebatur. Ingentem hinc apud omnes authoritatem, & Sanctitatis opinionem ſibi conciliavit. Verùm ad ſublimius vitæ genus aſpirans, abdicatis honoribus, ſpretiſque mundi oblectamentis, quadrageſimo quarto circiter anno Ordinem Prædicatorum ſolenni ritu Sacro Religionis habitu ſuſcepto Barcinonæ profeſſus eſt. ℟. *Honeſtum.*

Lectio V.

HIc jam novus miles eximios fecit in virtute progreſſus: mira in eo humilitas. Et licèt talis, ac tantus,eò tamen ipsò demiſſiùs ſentire de ſe, aliis omnia, ſibi nihil tribuere,libentius deliteſcere, quàm in lucem prodire conſueverat. Obedientiâ adeò ſingularis, ut repulſo voluntatis arbitrio, totus è ſuperiorum nutu penderet; Paupertas,mundi curarum abdicatio,jejunandi (Præterquam diebus Dominicis) conſuetudo, orandi aſſiduitas. Angelo ſæpiùs eum ad preces familiariter excitante, cæleſtem caſtitatem adeò fideliter coluit, ut eam uſque ad extremum vitæ diem integerrimam

servaverit. Monitu sacræ Virginis Mariæ sibi in somnis apparentis, unà cum Petro Nolasco, & Jacobo Aragoniæ Rege, Ordinem B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum fundavit, cui certas leges vivendi ab Apostolica Sede approbatas præscripsit, atque eundem Petrum primum Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus habitu Religionis indutum creavit, à Gregorio IX. Romam vocatus, & Capellani, ac Pœnitentiarii S. Rom. Ecclesiæ dignitate decoratus, Rom. Pontif. decreta in diversis Conciliis, & Epistolis sparsa, ejusdem Pontificis jussu in unum Decretalium volumen redegit. Archiepiscopatum Tarraconensem sibi ab Apostolica sede oblatum constantissimè recusavit. ℟. *Amavit eum.*

Lectio V I.

GEneralis Ordinis Prædicatorum Magister summo omnium consensu declaratus, quanquam diu reluctans, ac ægrè Magistratum iniens, biennio post, ab eo officio mœrentibus omnibus sponte se abdicavit. Jacobo Arragonum Regi Sacræ Inquisitionis in suis Regnis instituendæ Author fuit. Innumera adhuc vivens patravit miracula: inter quæ illud clarissimum celebratur, quòd ex Insula Baleari majori Barcinonam trajecit nullo navigio, sed pallio tantùm super aquas expanso, reductáque ejus orâ instar veli ad baculum quo tanquam malo uteretur, veluti solidis tabulis vectus centum sexaginta milliaria sex horis confecit cunctis circa littora stupentibus. Plenus tandem virtutibus, & longâ

longâ ætate confectus, Sacramentis omnibus ritè munitus, propè centenarius obdormivit in Domino, Anno Salutis 1205. Sepulchro pulvis enascitur, qui licèt copiosè inde exportetur, nunquam tamen deficit eóq; multæ, gravesq; infirmitates corporis curantur. Relatus est in Sanctorum numerum ritu solenni Canonizationis à Clemente VIII. Anno 1607. tertio Kalendas Maij. ℟. *Iste homo :*

In III. Nocturno.

Homilia S. Augustini Ep. in Evang. Vos estis sal terræ : *de communi Doctorum.*

Missa. Os Justi : *de Communi Confess. non Pontificis. Oratio ut suprà. Evang.* Vos estis sal terræ : *ut in communi Doctorum.*

Die XXIX. Januarii.

In Octava S. VINCENTII.

Duplex.

Omnia dicuntur ut ipsa die, præter Lectiones.

In I. Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermone S. Augustini Ep. *Ex Serm. 30. de Sanctis.*

Lectio IV.

LEgimus Ananiam, Azariam, & Misaëlem, beatissimos pueros, à Rege in camino ignis inclusos,

ſos, in pœnarum ſuarum deambulâſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcâſſe. Unde & beatus Vincentius non minori gloria eſt præferendus. Siquidem illi in pœnarum ſuarum flammis ambulabant, hic & in ipſo ſupplicii ſui igne diſcubuit. Illi veſtigiis pedum conculcarunt incendia, iſte laterum ſuorum diffuſione extingvit. ℟. *Honestum fecit.*

Lectio V.

ITerum ergò beatus Vincentius in dorſum ſupinus vertitur, & renes ejus ignibus exuruntur, ut impleretur Pſalmi Prophetia, quæ dicit ex Perſona Vincentii: Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos, & cor meum. Duplici ſe poſtulat igne comburi. Nam ſi de ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret renes tantùm exurendos incendiis obtuliſſe. Cor autem, niſi flamma Chriſti, non urit. ℟. *Deſiderium animæ.*

Lectio VI.

ORemus igitur, fratres, beatum Vincentium: qui dum fide ſuâ perſecutoris flammas vicit, oſtendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperare, & amore Chriſti diem judicii non timere. Nos verò fratres dilectiſſimi, ſi ad conſortium Sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere, ut pro nobis dignentur Domino ſupplicare. ℟. *Stola jucunditatis.*

In III.

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem cap. 12. d.

Lectio VII.

IN illo tempore, dixit JESUS discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 66. in Joannem.*

DUlcis præsens vita est, & multæ plena voluptatis, non tamen omnibus, sed iis tantùm, qui illi sunt affixi. Quòd si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Nam & corporum pulchritudo quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur: cùm verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quòd si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cœlestis regni speciem considerare, confestim nos hujus sæculi vinculis dissolvemus. ℟. *Corona aurea.*

Lectio VIII.

VInculum namq; est terrenarũ rerum affectio: ad cujus dissolutionem, ut nos induceret Christus, quid dicat, attende. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ænigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, imò verò præcipuæ sapientiæ plenum. Et quomodo qui amat animam suam, perdet eam?

Qui

Qui absurdis ejus cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget, quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam; hoc est, qui non paret ei, cùm noxia jubet.
℟. *In Craticula.*

Lectio IX.

ET non dixit, qui non paret, sed qui odit. Sicuti enim, quos odio habemus, ne vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur: ita & animæ, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, vehementer aversari oportet. Cùm enim jam de morte ad eos verba facturus esset, de morte videlicet sua, & prævideret eorum tristitiam & exanimationem, per excessum locutus est, inquiens: Quid dico, si mortem meam generosè non feretis? Nisi vos ipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumentum.
Te Deum laudamus.

FESTA FEBRUARII.

Die I. Februarii.

IN FESTO
S. IGNATII Episc. Mart.
Semiduplex.

Commem. S. Brigidæ Virginis.

ORA-

ORATIO.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: ut ſicut de beatæ Brigidæ feſtivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum, &c.

Lectio IX.

BEata Brigida, in Scotia Chriſtianis parentibus orta, & interdum Angelicis viſionibus ſtipata, igneam columnam in capite tenere infans conſpecta eſt. Jejuniis, vigiliis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus, atque mirâ ſanctitate morum à teneris enituit. Petita in Matrimonium, quòd pereleganti forma eſſet, à Chriſto, quem ſibi Sponſum delegerat, alterius oculi deformitatem precibus ad id declinandum impetravit. Sacro velamine poſtmodùm ſuſcepto, ſanitati reſtituta eſt. Virginitatis ejus gratiam & integritatem miraculo Deus teſtatam voluit: tactu Virginis, ligneum altaris pedem, præter naturæ ordinem, revireſcere concedens. Vitæ ſanctitate, & miraculorum plurimorum famâ illuſtris, Calend. Februarii, quievit in Domino.

Die III. Februarii.

IN FESTO S. BLASII Epiſcopi & Martyris. *Semidupl.*

Omnia de communi unius Martyris.

ORATIO.

DEUS, qui nos beati Blaſii Martyris tui atque Ponti-

Pontificis, annuâ solennitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Lectiones primi Nocturni.

De Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Blasius Sebaste in Armenia, &c. *ut in Romano Breviario.*

Lectio V. & VI.

De Expositione S. Ambrosii Episcopi, in Psalm. 118. Serm. 21.

Principes persecuti sunt me gratis, &c. *ut in communi unius Martyris.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Si quis vult venire post me, &c. *ut in eodem communi.*

Die VI. Februarii.

IN FESTO S. DOROTHEÆ Virginis & Martyris. *Dupl.*

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa Virgo & Martyr Dorothea multorum tormentorum genera superavit, te suppliciter exoramus, ut ejus meritis & precibus cuncta pericula vincamus, & nobis ipsam celerem adjutricem in no-

in nostris necessitatibus sentiamus. Per Dominum, &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente. Si verò venerit in Quadragesima, leguntur de Epistola 1. S. Pauli Apostoli ad Corinth. De Virginibus præceptum Domini non habeo, &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Dorothea Virgo, &c. *ut in Breviario Romano.*

Lectio V. & VI.

De Serm. S. Ambrosii Episcopi, Lib. 1. de Virgin. circa initium. Quoniam hodiè natalis est Virginis, &c.

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. *Ut in communi nec Virginis nec Martyris.*

Die VIII. Februarii.

IN FESTO S. JOANNIS de Matha Confessoris. *Duplex.*

In hymn. ad Vesp. Hac die lætus meruit supremos laudis honores &c.

ORATIO.

DEUS, qui per S. Joannem de Matha ordinem SS. Trinitatis ad redimendum de potestate Sara-

 race-

racenorum captivos cœlitùs instituere dignatus es: præsta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis à captivitate corporis & animæ te adjuvante liberemur. Per Dominum &c.

Lect. I. Noct. de script. occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

JOannes de Matha Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Institutor, Falcone in provincia natus est, parentibus pietate, & nobilitate conspicuis. Studiorum causâ Aquas Sextias, mox Parisios profectus, confectoq; Theologiæ curriculo, Magisterii lauream adeptus doctrinæ & virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiensis Antistes ad S. Presbyteratûs ordinem præ humilitate reluctantem promovit eo consilio, ut in ea civitate commorans sapientia, & moribus studiosæ Juventuti præluceret. Cùm autem in Sacello ejusdem Episcopi, ipso cum aliis adstante, primum Deo Sacrum offerret, cœlesti favore meruit recreari. Nam Angelus candida, & fulgenti veste indutus, cui in pectore crux rubei, & cærulei coloris assuta erat, brachiis cancellatis, & super duos captivos ad latera positos, Christianum unum, alterum maurum, extensis apparuit. Qua visione in extasim raptus intellexit protinus vir Dei, se ad redimendos ab infidelibus captivos destinari. ℟. *Honestum.*

Lectio V.

QUò verò maturiùs in re tanti momenti procederet,

deret, in solitudinem secessit, ibiq; Divino nutu factum est, ut Felicem Valesiũ in ipsa eremo jam multis annis degentem repererit, cum quo inita Societate se per trienniũ in oratione, & contemplatione, omniumq; virtutũ studio exercuit. Contigit autem, ut dum secum de rebus Divinis prope fontem colloquerentur, cervus ad eos accesserit crucem inter cornua gerens, rubei & cærulei coloris. Cúmq; Felix ob rei novitatem miraretur; narravit ei Joannes visionem in prima Missa habitam, & exinde serventiùs orationi incumbentes, ter in somnis admoniti; Romam proficisci decreverunt, ut à Summo Pontifice novi Ordinis pro redimendis captivis institutionem impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertius, qui illis benignè acceptis, dum secum de re proposita deliberat, in festo S. Agnetis secundo, Laterani intra Missarum solemnia ad Sacræ Hostiæ elevationem, Angelus ei candida veste, cruce bicolori specie redimentis captivos apparuit. Quo viso Pontifex Institutum approbavit, & novum Ordinem SS. Trinitatis redemptionis captivorum vocari jussit, ejusq; Professoribus albas vestes cum cruce rubei, & cœrulei coloris præbuit. ℟. *Amavit.*

Lectio VI.

SIc stabilito ordine Sancti Fundatores in Galliam redierunt; primoq; cœnobio Cervi Frigidi in Diœcesi Meldensi constructo, ad ejus regimen Felix remansit, & Joannes Romam cum aliquot

 Sociis

Sociis reversus est. Ubi Innocentius domum, Ecclesiam, & hospitale S. Thomæ de Formis in monte Cœlio eis donavit cum multis redditibus & Possessionibus. Datis quoq; literis ad Miramolinum Regem Marrochii opus redemptionis felici auspicio inchoatum fuit. Tum ad Hispanias sub jugo Saracenorum magna ex parte oppressas, Joannes profectus est, Regúmque, Principum, aliorumq; fidelium animos ad captivorum & pauperum commiserationem commovit, Monasteria ædificavit, Hospitalia erexit, magnoq; lucro animarum plures captivos redemit, Romam tandem reversus, sanctisq; operibus incumbens, assiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentissimo DEI, & proximi amore exæstuans, ad extremum devenit. Quare fratribus convocatis, eisque ad opus redemptionis cœlitùs præmonstratum efficaciter cohortatis, obdormivit in Domino Sexto decimo Calendas Januarii Anno salutis 1213. ejusq; corpus in Ecclesia S. Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit. ℟. *Iste homo.*

In III. Nocturno.

Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Sint lumbi vestri.

Missa. Os Justi. *Oratio propria suprà.*

IX. Lectio de S. Helena.

HElena Magni Constantini Mater, singulari pietatis studio in Judæam profecta, Sacrosanctam Christi Domini Crucem invenit. Duas ibi Basili-

cas

cas magnificentissimas extruxit: alteram ad Præsepe Domini, alteram in monte Oliveti, ubi Christus in cœlum ascendit. Multas etiam Ecclesias Romæ, aliisq; locis exornavit. Jerosolymis sacratis Deo Virginibus, quas ibi reperit, ipsa famulæ habitu succincta ministrare, aquam manibus fundere, cibum apponere, poculum porrigere voluit. Christianæ humilitatis, & charitatis exemplum omnibus se exhibens, pauperum inopiam omni studio, atq; ope sublevabat. Deniq; octogesimo ætatis suæ anno, bonorum operum plena, beato fine quievit. *Te Deum &c.*

Die X. Februarii.

IN FESTO S. SCHOLASTICÆ Virginis.

ORATIO.

EXaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Scholasticæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum &c.

Lectio III.

Ex Greg. Magno, *Lib. 2. Cap. 33. Dialogorum.*

SCholastica S. Benedicti Abbatis soror, fratris exemplo mirificè ad spiritualis vitæ perfectionem excitata, spretis mundi voluptatibus, perpetuæ se voto virginitatis obstrinxit. Cúmq; fratrem sacri colloquii causà quotannis invisere consve-

ſveviſſet, ad ipſam quoque viciſſim pari ſtudio Benedictus accedebat. Quem, cùm aliquando reditum ad monaſterium parantem, nequiret ſoror adducere, ut ſecum de rebus Divinis diutiùs ageret, tantam ſubitò à Deo pluviam impetravit, ut ille piæ ſororis votis ſatisfacere ſit coactus. Tandem vitâ ſanctiſſimè actâ, ejus animam columbæ ſpecie in cœlum aſcendentem Benedictus aſpexit: ſacrúmque corpus in idem ſepulchrum intulit, quod ſibi ipſe paraverat. ℞. *de com. Virg.*

Die XII. Februarii.

S. EULALIÆ Virg. & Martyris.

ORATIO.

INdulgentiam nobis &c. *Ut in Com. Virg.*

Lectio III.

Quoniam hodie Natalis eſt Virginis &c. *Ut in Eodem Com.*

Die XIV. Februarii.

IN FESTO

S. VALENTINI, Presbyteri & Mart. *Semidupl.*

Omnia de communi unius Martyris, exceptis iis, quæ hic propria ponuntur.

ORA-

ORATIO.

PRæſta quæſumus omnipotens DEUS: ut qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus ejus interceſſione liberemur. Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente. Si verò venerit in Quadrageſima; Lectiones dicuntur de Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Romanos c. 8. Fratres, debitores ſumus &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV. V. & VI.

De Sermone S. Auguſtini Epiſc. Serm. 44. de Sanctis.
Triumphalis beati Martyris &c.

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi, Presbyteri.

Lib. 1. in Matth. Cap. 10.

SUprà dixerat: quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Nunc infert, quid poſt prædicationem ſequatur. Ad fidem Chriſti totus orbis contra ſe diviſus eſt: unaquæq; domus & infideles & credentes habuit, & propterea bellum miſ-

ſum eſt bonum, ut rumperetur pax mala. Tale quid & in Geneſi adversùs rebelles homines, qui moti fuerunt de oriente, & turrem extruere feſtinabant, per quam cœli alta penetrarent, feciſſe ſcribitur Deus; ut videret lingvas eorum. ℟. *Corona aurea.*

Lectio VIII.

VEni enim ſeparare hominem adversùs patrem ſuum. Hic locus prope iisdem verbis in Michæa Propheta ſcribitur: & notandum ubicunq; de veteri teſtamento teſtimoniũ ponitur: utrum ſenſus tantùm, an ſermo conſentiat. Qui amat patrem, aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus. Qui ante præmiſerat; non veni pacem mittere, ſed gladium, & dividere homines adversùs patrem & matrem, nurum & ſocrum, ne quis pietatem religioni anteferret, ſubjecit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus, quàm me: & in Cantico legimus Canticorum: ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu neceſſarius eſt: ama poſt Deum, patrem, ama matrem, ama filios. ℟. *Hic eſt verè Martyr.*

Lectio IX.

ORdo pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum ſubjicit religioni. Aurum ſupra tulerat, æs de Zona excuſſerat. Dura Evangeliſtarum conditio. Unde ergo ſumptus, unde victûs neceſſaria? Auſteritatem mandatorũ ipſe temperat promiſſorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit, & qui me recipit,

recipit, recipit eum, qui me misit: ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur. *Te Deum laudamus.*

Si venerit in Quadragesima, Lectio 9. & comm. Feriæ.

Die XVI. Februarii.

S. JULIANÆ V. & Mart.

ORATIO.

Deus, qui inter cetera: *de Comm. Virg. & Mart.*

Lectio III.

JUliana Virgo, Nicomediæ ob Christianæ fidei confessionem, Maximiano Imperatore, non solùm ab Africano patre verberibus cæsa, sed etiam ab Eleusio præfecto, cui nubere recusârat, in fœtidum carcerem detrusa, gravissimis tormentis cruciatur: cùm verò nullo pœnarum genere à Christiana Religione posset abduci, flammas & ollam ferventem, multis interim ad Christum perductis, mira constantiâ superavit. Ad extremum capite damnata, de diabolo, & fidei hostibus triumphavit.

FESTA MARTII.

Die III. Martii.

IN FESTO

S. CUNEGUNDIS Virg.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui à gloria tua nullum

nullum excipis sexum, nullam conditionem excludis, te suppliciter exoramus, ut sicut S. Cunegundi Virgini tuæ post terreni culmen imperii, cælestis regni solium contulisti, ita ejus precibus nobis quoq; famulis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum.

Lectio III.

CUnegundis Sigefridi Palatini filia etsi Henrico Cæsari nupserit, virginitatem tamen coluit, quæ cùm violati thori suspicionem incurrisset, per ignitos vomeres illæsa nudis pedibus incessit. Basilicas varias exstruxit. Defuncto Marito fidei annulum ab Archiepiscopo & Virginum sacrarum velum accepit. Vigilias, preces, rerum sacrarum lectionem ad multam noctem produxit, fessáque non nisi in strato cilicino quievit. Tandem 15. annis in simili virtutum exercitio consumptis migravit ad Dominum. Viva Cænobii incendium crucis signo restinxit & mortua quàm plurimos variis morbis affectos curavit. Sacrum ejus corpus Bambergæ colitur.

Die V. Martii.

Translatio S. WENCESLAI Mart. *Semidupl.*

Omnia de communi unius Martyris, præter ea, quæ hîc assignantur.

ORATIO.

COncede quæsumus plebi tuæ, omnipotens Deus,

Deus,ut quæ Beati Wenceslai Martyris tui translatione lætatur in terris,ejusdem æternâ ſocietate perfruatur in cœlis. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni.

Fratres debitores ſumus &c. *De com̃uni plur. Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

BEati Ducis & Martyris Wenceslai Corpus, cùm triennio jam Boleslaviæ, in æde Sanctorum Coſmæ & Damiani jaceret,atq; ibidem miraculis coruſcaret,Pragenſem in Urbem Boleslai fratris juſſu translatum eſt. Qui viventi manus intulerat, in mortuum etiam impius fuit. Itaque plauſtro impoſitum clam omnibus, vitatâ populi frequentiâ, unius noctis ſpatio inglorium & inhonoratum deferri à ſuis imperavit,pænâ aurigæ impoſitâ, ut niſi ante lucem Pragam perveniſſet, capite plecteretur. Sed hæc conſilia Deus admirabiliter diſſipavit. ℟. *Honeſtum.*

Lectio V.

COntendunt, uti imperatum fuerat, feſtinatione ſummâ. Binos fluvios aquis tunc præter ſolitum redundantes, equorum pedibus tantùm madefactis, transmittunt. Ubi ad carcerem arci Pragenſi ſubjectum deventum eſt, ita equi conſtitêre, ut inde dimoveri non poſſent, niſi clarâ jam luce, cum plurimi ingenti concurſu conveniſſent. Quod Boleslaus maximè vitabat, ejusq; ſatellites obſtinatè pernegabant,planum eſt omnibus

bus factum, sacratissimum Beati Wenceslai Corpus ab ipsis deferri. ℟. *Desiderium.*

Lectio VI.

ACcessit miraculum aliud, quo res illustrior fieret. Vincti ad unum omnes, qui carcere custodiebantur, divinitùs redditi liberati, in cujus rei memoriam ædes S. Wenceslai nomine insignis, ibidem constructa est. Attonitis ob hæc prodigia omnibus, Beati Principis Corpus in Sancti Viti templum, quod ipse olim fundaverat, fuit illatum. Rejectis involucris, unâ demptâ auriculâ, quæ deinde capiti admota momento coaluit, artus planè integros, obductis vulnerum cicatricibus, summa cum admiratione reperiunt. Itaq; inter hymnos & cantica, cùm omnia facibus collucerent; Sacerdotum, clericorúmq; operâ, eâ, quâ par erat veneratione reconditum fuit. ℟. *Stolã.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangel: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. *De com. unius Mart. 9. Lectio & com. Feriæ, si venerit in Quadragesima.*

Ad Missam Introitus: Lætabitur justus &c. *Ut in ipso Festo ejusdem assignatur 28. Septembris.*

Die XVII. Martii.
IN FESTO
S. GERTRUDIS Virg.

Semiduplex.

Omnia de com. Virg. non Mart.

ORA-

ORATIO.

INdulgentiam tuam nobis, quæsumus Domine, beata Gertrudis Virgo imploret, quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Epistola 1. Beati Pauli Apost. ad Corint. Cap. 7. c. De Virginibus præceptum Domini &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

SAncta Gertrudis Virgo, clarissimis parentibus, patre Pipino Magno Regis Franciæ Procuratore domûs, matre verò Itta, fœmina pudicissima sanctáq; nata fuit. Modestiam & humilitatis virtutem à prima ætate ita coluit, ut ancillis suis se ministram ancillamq; præstaret. Rex Dagobertus cùm eam Ducis Austrasiæ filio, qui tum in comitatu ejus erat, uxorem postularet; Virgo respondit: se neq; hunc, neq; mortalium quempiam, sed solum Christum Deum Sponsum habere velle. Juvenis ille repulsam passus, cùm nihilominùs à proposito non desisteret, Virgo sancta, parentum auxilio in Orientalem Franciam cum Atalango Presbytero, & Bernardo Diacono profugit: ibiq; in loco, qui Caroli mons nominatur, per Divinam revelationem, corpora Sanctorum Martyrum Kiliani & Sociorum ejus invenerunt. ℞. *Propter veritatem.*

Lectio V.

PIpino patre, simul & juvene illo proco mortuis, beata

beata Gertrudis ad matrem rediit: domum suam in Monasterium Sanctimonialium, Amando Episcopo adjutore, converterunt. Et ne Gertrudis à quibusquam procis ampliùs pateretur insidias, mater ipsa filiæ capillum abscidit. Quæ aliquanto pòst inter Virgines suscepto velamine, consecrata est. Pòst obitum matris cùm ipsa Monasterii curam suscepisset, ut liberiùs Deo serviret, sacrisq; studiis vacare posset, eam exemplo Moysis divisit in plures. Interim non solùm in sacrarum litterarum scientia, sed in spiritualibus quoq; virtutibus ita profecit, ut à sororibus lux aliquando sphæræ igneæ super eam irradiare sit visa. Nuntios quoque suos in mari periclitantes invocata, licèt absens corpore liberavit. Ad hæc beati Martyris Foillani corpus, indicio supernæ revelationis, ipsa meruit invenire. ℟. *Dilexisti justitiam.*

Lectio VI.

Cùm Divino Spiritu se morti proximam esse cognovisset, ut reliquum trium mensium tempus in opera pietatis, & beatæ vitæ studium, sanctiùs expenderet, omnem Monasterii curam Volfetrudi cognatæ suæ tradidit. Sepulturam qualem habere vellet, omni pompa vacuam, ordinavit: corpus tantùm cilicio, quo uti consveverat, caput autem vili quodam velo, à sacra quadam Virgine donato, tegi voluit. Deinde à Sancto Ultano Monacho de die obitus sui facta certior, anno ætatis suæ trigesimo tertio, sumpto sacratissimi corporis viatico, animam suam creatori Deo reddidit:

Beato

Beato Patritio cum Sanctis Angelis illi, ut Vates Ultanus prædixerat, occurrente. Eadem enim dies, nempe Martii decima septima Sancto Patritio Hibernorum Apostolo jam pridem erat sacra. ℟. *Adducentur Regi.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evang. Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus &c. *9. Lect. & com. Feriæ.*
Ad Missam Introitus. Dilexisti justitiam &c.

OFFICIUM SEPTEM DOLORUM B. MARIÆ Virginis.

Feria sexta post Dominicam Passionis celebratur Officium septem Dolorum B. Mariæ Virginis ritu duplici.

Ad Vesperas Antiphona.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

Psal. 115. Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis. *Vide Feriâ secundâ ad Vesperas.*

Ant. Dilectus meus candidus & rubicundus: comæ capitis sicut purpura Regis vincta canalibus.

Psal. 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi: & exaudivit me. *Vide Feriâ secundâ ad Vesperas.*

Antiph. Quo abiit dilectus tuus, ó pulcherrima mulierum! Quo dilectus tuus declinavit.

Psal. 139. Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me. *Vide Feriâ sextâ ad Vesperas.*

Antiph.

Antiph. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Psal. 140. Domine clamavi ad te exaudi me: intende voci meæ, cùm clamavero ad te. *Vide Feriâ sextâ ad Vesperas.*

Antiph. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langveo.

Psal. 141. Voce mea ad Dominum clamavi: Voce mea ad Dominum deprecatus sum. *Vide Feriâ sextâ ad Vesperas.*

Capitulum. *Isaiæ* 53.

Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

Hymnus.

STabat Mater dolorosa, Juxta crucem lacrymosa, Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem, Contristantem, & dolentem, Pertransivit gladius.

O quàm tristis & afflicta, Fuit illa benedicta Mater Unigeniti!

Quæ mœrebat, & dolebat, Et tremebat cùm videbat Nati pœnas inclyti.

Quis est homo qui non fleret, Christi Matrem si videret, In tanto supplicio?

Quis non posset contristari, Piam Matrem contemplari Dolentem cum Filio.

Pro peccatis suæ gentis Vidit Jesum in tormentis, Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum Morientem, desolatum, Dum emisit Spiritum.

Eja Mater fons amoris, Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum In amando Chriſtum
Deum, Ut ſibi complaceam. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo doloroſiſſima.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Magnificat Antiphona.

Tuam ipſius animam (*ait ad Mariam Simeon*) pertranſivit gladius.

ORATIO.

INterveniat pro nobis, quæſumus Domine JEſu Chriſte nunc & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam beata Virgo Maria Mater tua, cujus ſacratiſſimam animam in hora tuæ paſſionis doloris gladius pertranſivit. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Matutinum Invitatorium.

Dolores glorioſæ recolentes Virginis, Dominum pro nobis paſſum, * Venite adoremus. *Pſalmus.* Venite exultemus.

Hymnus.

SAncta Mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

Tui nati vulnerati, Tam dignati pro me pati
Pœnas mecum divide.

Fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum ſtare, Te libenter ſociare
In planctu deſiderio. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus.

Psal. 2. Quare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania. *Dominica ad Matutinum.*

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.

Psal. 3. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me. *Vide Dominica ad Matutinum.*

Antiph. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psal. 12. Usquequò Domine oblivisceris me in finem? Usquequò avertis faciem tuam à me? *Vide Dominica ad Matutinum.*

℣. Posuit me desolatam.

℟. Tota die mœrore confectam.

Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine. ℣. Jube Domne Benedicere. Benedictione perpetua.

De Isaia Propheta. *cap.* 53.

Lectio I.

QUis credidit auditui nostro; Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, undè nec reputavimus eum.

eum. Verè langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.

℟. Dilectus meus candidus, & totus deſiderabilis: * Omnis enim figura ejus amorem ſpirat, & ad redamandum provocat caput inclinatum, manus expanſæ, pectus apertum.

℣. Piis, ô Virgo, ſpectas eum oculis, contemplans in eo non tam vulnerum livorem, quàm mundi ſalutem. Omnis enim.

Benedict: Unigenitus Dei Filius.

Lectio II.

OMnes nos quaſi oves erravimus, unusquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrorum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et dabit impios pro ſepultura & divitem pro morte ſua: eò quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. ℟. Manus

Benedictio. Spiritus ſancti gratia.

Lectio III.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmita-

 te: ſi

te: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

℟. Diligebat Jesus Joannem; * quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: * Quia Virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit. ℣. In Cruce denique moriturus huic Matrem Virginem Virgini commendavit. Quoniam specialis. Gloria Patri. Quia Virgo.

In II. Nocturno.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus.

Psal. 40. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. *Vide Feriâ tertiâ ad Matutinum.*

Antiph. Deus, vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psal. 55. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me. *Vide Feriâ quartâ ad Matutinum.*

Antiph. Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingva eorum gladius acutus.

Psalm.

Psal. 56. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. *Vide Feriâ quartâ ad Matutinum.*

℣. Facies mea intumuit à fletu.

℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas. ℣. Jube Domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Bernardi Abbatis. Ex serm. de 12. stellis.

Lectio IV.

MArtyrium Virginis tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa Dominicæ Passionis historia commendatur. Positus est hic (ait sanctus senex de puero Jesu) in signum cui contradicetur; & tuam ipsius animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Verè tuam, ô beata Mater, animam pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filii tui penetraret. Et quidem posteaquàm emisit Spiritum tuus ille Jesus, in ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè nequibat inde avelli.

℟. Tenebræ factæ sunt cùm crucifixissent Jesum Judæi, & circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et inclinato capite emisit Spiritum.

℣. Quis tibi nunc sensus, dum cernis talia; Virgo? Et inclinato capite. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio V.

TUam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirùm corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquàm gladius fuit sermo ille, reverà pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem Animæ & Spiritûs: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra, licèt saxea, licèt ferrea pectora, sola recordatio scindit.

℟. Passio Domini, Ipsam ejus matrem, carnali orbitate: graviter percussam, vehementissimè contristavit.

℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem salvatoris, animam verò transivit Virginis matris. Ipsam ejus Matrem. *Benedict.* Ignem sui amoris.

Lectio VI.

NOn miremini, fratres, quòd Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd sinè affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à servulis ejus. Sed fortè quis dicat: Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit Crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi

tibi hæc ſapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, iſta commori corde non potuit? Fecit illud Charitas, qua majorem nemo habuit: fecit & hoc Charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.

℟. Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, & in hærendo lateri tuo, ut ſangvis tuus ſangvinem meum tangat, & tergat. Ut fons aquæ tuæ de ſcaturigine recti cordis, per venas boni operis, in finem æternæ felicitatis exiliat?

℣. Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Ut fons. Gloria Patri. Ut fons.

In III. Nocturno.

Antiph. Intenderunt arcum, rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum.

Pſal. 63. Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam. *Vide Feriâ quartâ ad Matutinum.*

Antiph. Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, inter mortuos liber.

Pſal. 87. Domine Deus ſalutis meæ: in die clamavi, & nocte coram te. *Vide Feriâ ſextâ ad Matut.*

Antiph. Replevit me amaritudine, inebriavit me Abſynthio.

Pſal. 108. Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. *Vide Sabbato ad Matutinum.*

℣. Vitam meam annuntiavi tibi.

 ℟. Po-

℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. ℣. Jube Domne. *Benedictio.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem. cap. 19.
Lectio VII.

IN illo tempore: stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. *Tractat. 119. in Joannem.*

HÆc nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversurus in vinum, dixerat matri: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itáq; horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat homo, affectu commendabat humano: moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo suo suos ministros instruxit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

℟. Doleo super te fili mi Jesu, decorus nimis, & amabilis super amorem mulierum! sicut enim mater unicũ diligit filium, ita ego te diligebam.
℣. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut. *Benedictio.* Cujus festum colimus.

Lectio

Lectio VIII.

EX hac sana doctrina didicerat, Paulus Apostolus, quod docebat quando dicebat: Si quis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister sanctorum de se ipso constituebat exemplum: quando non ut famulæ Deus, quam creaverat, & regebat, sed ut matri homo, qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

℟ Eja mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris, & tecum lugeamus: * Et Dominicæ passionis fructum sentiamus.

℣. Ut sicut filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, & resurrexit, ita & nos commortui cum eodem resurgamus. Et Dominicæ. Gloria Patri. Et Dominicæ. *Benedictio.* Per Evangelica dicta.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem. cap. 11. f.

Lectio IX.

IN illo tempore: Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium adversus Jesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi *Tract. 49. in Joannem sub finem.*

POntifices & Pharisæi sibi consulebant: nec tamen dicebant, credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent ut per-

derent, quàm quomodo sibi consulerent, nè perirent: & tamen timebant, & quasi consulebant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumq; amiserunt. Te Deum Laudamus.

Ad Laudes & per horas Antiphona.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. *Psalmus.* Dominus regnavit. *Cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Dilectus meus candidus, & rubicundus, comæ capitis ejus sicut purpura Regis vincta canalibus.

Antiphona. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum! Quò dilectus tuus declinavit!

Antiphona. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Antiphona. Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langveo.

Capitulum. *Isaiæ 53.*

Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

Hymnus.

VIrgo Virginum præclara, Mihi jam non sis amara, Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem, Passionis ejus sortem, Et plagas recolere.

Fac

Fac me plagis vulnerari, Cruce hac inebriari, Ob amorem Filii.

Inflammatus, & accensus, Per te Virgo sim defensus In die judicii.

Fac me cruce custodiri, Morte Christi præmuniri, Confoveri gratia.

Quando corpus morietur, Fac ut animæ donetur Paradisi Gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus Antiphona.

Cùm vidisset Jesus matrem stantem juxta crucem, & discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

ORATIO.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Jesu Christe, nunc & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam beata Virgo Maria mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Et fit commemoratio Feriæ. Antiphona.

Appropinquabat autem dies festus Judæorum: & quærebant Principes sacerdotum quomodo Jesum interficerent, sed timebant plebem.

℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus.

℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

ORATIO.

COrdibus nostris, quæsumus Domine, gratiam

tuam benignus infunde: ut peccata noſtra caſtigatione voluntaria cohibentes temporaliter potius maceremur, quàm ſuppliciis deputemur æternis. Per Dominum.

Ad Complet. & per horas, in fine Hymnorum dicitur. Jeſu tibi ſit gloria. Qui natus es de Virgine, &c.

Ad primam Antiphona. Vadam ad montem.

℟. *Breve.* Chriſte fili Dei vivi, * Miſerere nobis. Chriſte. ℣. Qui paſſus es pro homine. Miſerere nobis. Gloria Patri. Chriſte fili Dei vivi miſerere nobis.

℣. Exurge Chriſte, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Ad tertiam Antiphona. Dilectus meus.

Capitulum. Quis credidit. *ut ſuprà.*

℟. *Breve.* Poſuit me, * Deſolatam. Poſuit. Tota die mærore confectam. Deſolatam. Gloria Patri. Poſuit.

℣. Facies mea intumuit à fletu.

℟. Palpebræ meæ caligaverunt.

Ad ſextam Antiphona. Quò abiit.

Capitulum. *Iſaiæ 53.*

Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.

℟. *Brev.* Facies mea, * Intumuit à fletu. Facies mea.

℣. Et palpebræ meæ caligaverunt. Intumuit. Gloria Patri. Facies mea.

℣. Deus Vitam meam annuntiavi tibi.

℟. Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Ad nonam

Ad nonam Antiphona. Fulcite me floribus.

Capitulum. *Isaiæ 53.*

Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus popopuli mei percussi eum.

℟. *Breve.* Deus vitam meam, * Annuntiavi tibi. Deus vitam meam.

℣. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Annuntiavi. Gloria Patri. Deus vitam meam.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis.

Ad Magnificat Antiphona.

Cùm vidisset Jesus matrem stantem juxta crucem, & discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua.

Et fit commemoratio Feriæ. Antiphona.

Principes Sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent: dicebant autem: Non in die festo, nè fortè tumultus fieret in populo.

℣. Eripe me Domine ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

COncede quæsumus omnipotens Deus: ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus secura tibi mente serviamus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat, &c.

FESTA APRILIS.

Die II. Aprilis.

IN FESTO S. FRANCISCI de Paula Confess.

Fit Comm. S. Mariæ Ægyptiacæ.

ORATIO.

DEus, qui nos in solennitate Beatæ Mariæ peccatricis adunare voluisti, concede propitius, ut ejus glorioso interventu post vitæ fragilis terminum tibi in æternitate tua mereamur associari. Per Dominum.

Lectio IX.

MAria nata in Ægypto duodecimo ætatis anno Alexandriæ per 17. annos se ignominiosè prostituit, quæ cum una cum aliis Jerosolymam venisset ingressura Ecclesiam iterum ac tertio ab ipso limine invisibilem repulsam passa est, quare ante imaginem Deiparæ prostrata sæculo se renuntiaturam promisit. Ingressa sine impedimento audivit vocem: si transieris Jordanem, salva eris. Jordane superato per 47. annos austerrimè vixit. Tandem ab Abbate Zozyma in eremo reperta omnem vitæ suæ rationem aperuit, ac in die cænæ Domini facto crucis signo super aquas transiens S. Eucharistiâ refecta quievit in Domino: corpus sequenti anno Zozymas leone terram effodiente sepelivit.

Die

Die XXIII. Aprilis.
IN FESTO
S. ADALBERTI Episc. & Mart. *Duplex.*

Omnia de communi Martyrum tempore Paschali, exceptis iis, quæ hîc propria ponuntur.

ORATIO.

TUam nobis indulgentiam quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de communi unius Martyris. A Mileto &c. *Respons.* Beatus vir &c. *Ut tempore Paschali.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

ADalbertus, Episcopus Pragensis, in Boëmia nobilissimis parentibus, Slaunico Libecensi Comite, ac Strezyslava natus Voitechus anteà patrio sermone dictus fuit: ab Episcopo autem Magdeburgensi, Adalberto, apud quem deinceps piè ac honestissimè educatus est, alterum nomen accepit. Postquam Ditmaro in Episcopatu Pragensi successit, eum sanctissimè, in magna vitæ continentia, pietate, pauperumq; cura gessit. Propter contumacis tamen populi gravia peccata, deserere illum coäctus, sedem Apostolicam hac de re consulturus in Italiam se contulit. ℞. *Lux perpetua.*

Lectio

Lectio V.

PEregrinatione Jerosolymitanâ, quam instituerat, intermissâ, Romæ Leoni Abbati Sancti Bonifacii commendatur. Ibi cùm in religiosa vita quinquennium exegisset, à Pragensibus pertæsis orbitatis denuò revocatur. Principis ipsius & Archi-Episcopi Moguntini nuntiis precibusque exoratus Pontifex, redire Adalbertum ad suos jubet. Recipiunt læti reducem: non diu tamen illi obtemperant: sacras enim ædes invadunt, sontesq; qui ad illas confugerant, per vim ereptos interficiunt. Iterùm illos deserit Adalbertus; animoq; ad convertendas gentes alias, & ad Martyrium destinato, ut benedictionem tamen Sedis Apostolicæ obtineat, Romam revertitur. ℟. *In Servis suis.*

Lectio VI.

DEnuò Pragenses & Moguntinus Adalbertum repetunt. Cumq; jussu Pontificis iterum ad illos rediret, tres fratres suos ab eis cæsos esse cognoscit. Pragensem ergò viam præclusam sibi, mentesq; illorum à se alienàtas esse videns, Deo gratiis actis, convertendi gentes, quod Romanus Pontifex probaverat, institutum suum prosequitur. Hungariam cum Rege Geisa, ejusque filio Sancto Stephano, in fide Christi confirmat: Poloniam vicinam, cognatamq; Boëmis suis gentem, salutaribus præceptis copiosiùs instruit. Post triennium autem Radzino fratre in Archi-Episcopatum Gneznensem suffecto, ipse in Prussiam, idolis adhuc & dæmonibus servientem, proficiscitur.

Ibi dum religionem Christianam disseminaret, apud Fishausum sinûs Venedici oppidum, inter sacrificandum confossus, & in partes dissectus est. Corpus ejus à Boleslao Chabro Principe Poloniæ postea redemptum, & in Tremense Monasterium priùs, deinde Gneznam Metropolim honorificè translatum est. ℟. *Filiæ Jerusalem.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio VII.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii papæ. *Homil. 17. in Evang.*

EST aliquid, fratres charissimi, quod me de vita pastoris vehementer affligit. Ad exteriora enim negotia delapsi sumus; & aliud ex honore suscipimus; atq; aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen non virtutis tenemus. Relinquunt namq; Deum hi, qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actionibus jacent, & correptionis manus non tendimus: quotidiè per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. ℟. *Ego sum vitis.*

Lectio VIII.

SEd quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæculari-

cularibus intenti, tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippè curæ terennæ, à cœlesti desiderio obdurescit animus: & dum ipso suo usu durus efficitur, per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem DEI. Unde benè sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. ℟. *Candidi facti sunt.*

Lectio IX.

COnsiderate ergò, quid de gregibus agatur, quando pastores lupi sunt: hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt, contra quos greges Dei custodire debuerant. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidiè studia vacamus; terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris Prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profectò, quod scriptum est: Et erit sicut populus, sic sacerdos. *Te Deum laudamus.*

Ad Missam Introitus. Protexisti me Deus &c. *Ut habetur in Patr. Regni Poloniæ.*

Die

Die XXIV. Aprilis.
IN FESTO
S. GEORGII Mart. *Dupl.*

Omnia ut in Romano Breviario.

FESTA MAJI.

Die I. Maji.
IN FESTO
SS. Apost. PHILIPPI & JACOBI.

Fit Commem. S. Walburgis Virginis in laud. tantùm.

ORATIO.

Exaudi nos Deus salutaris &c.

Lectio IX. de S. Walburge.

WAlburgis in Anglia nata, Abbatissa Monasterii Heidenheim, Eystadiensis Diœcesis, soror S. Wilibaldi, Episcopi Eystadiensis, Virgo sanctissima, conversatione atq; multis virtutibus & signis clara enituit. Ad cujus sanctitatem declarandam Deus varia beneficia piè petentibus, sub ipsius patrocinio, clementer ostendit. Obiit verò Quinto Calendas Martias, in Monasterio suo; ubi corpus ejus primùm conditum est; postea verò sacræ ipsius reliquiæ, Calendis Maji, Eystadium translatæ, stillando oleum, perenni fulgent miraculo.

Die IV. Maji.

IN FESTO
S. FLORIANI M. *Semid.*

Omnia dicuntur de communi Mart. tempore paschali: exceptis iis, quæ hîc assignantur.

ORATIO.

DEus qui nos beati Floriani Martyris tui solennitate lætificas; concede propitius, ut cujus gloriosum triumphum veneramur in terris, societatis ejus lætitiam adipisci mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lection. de comm. plur. Mart. Fratres Debitores &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Ex Martyrologio, & Annal. Poloniæ.

FLorianus Martyr, passus est Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, persecutione decima, eaq; ultima. Cùm Theciæ audivisset, quadraginta milites, qui sub ejus signis aliquando stipendia merebant, Laureacum Norici Martyrii causa ablegatos, ac ibi variis tormentis consumptos esse, festinè ad illud oppidum se contulit: turpe putans, veteranum in tàm pulchra victoria à tyronibus vinci. Comprehensus sistitur Aquilino præfecto. Qui cùm in confessione Jesu Christi constanter perseveraret; fustibus, Præfecti jussu, semel atq; iterùm cæditur in scapulis, deinde ferro

acuto

acuto graviter verberatur. Ad extremum, ſaxo ad collum appenſo, in fluvium Anaſum dejici jubetur. ℟. *Lux perpetua.*

Lectio V.

GAudens ibat à conſpectu Judicis Florianus. Ad pontem ubi venit, impetrat orationis tempus. In qua cùm tota hora commoraretur; audacior quidam accurrit, ac Martyrem in fluvium dejecit, in quem confeſtim cecidit caligo & tenebræ. Sed ecce Dei ſervis ſerviunt omnia: deportat fluvius Sancti corpus, & ad ſaxum exponit. Mittitur à Deo inuſitatæ magnitudinis aquila, quæ corpus Sancti ab omni protexit injuria. Apparet demum in ſomnis piæ cuidam mulieri Valeriæ, ac ut corpus ſuum condat, admonet. Romam poſtea transfertur, ac cum Principibus Diaconis Stephano & Laurentio collocatur, magno urbis ſolatio ac præſidio. Nam ejus adventu omnis barbarorum furor, qui tùm urbem, ac univerſam Italiam vexabat, reſedit, paxq; optata reſtituta eſt. ℟. *In ſervis ſuis.*

Lectio VI.

TAndem Anno Domini milleſimo, centeſimo, octogeſimo tertio, Caſimirus, bello & pace clarus Poloniæ Princeps, unà cum Gedeone Epiſcopo Cracovienſi, ad Lucium tertium ſum̃um Pontificem mittunt; precantes, ut illis alicujus è Sanctis Martyribus oſſa impertiatur, qui genti & urbi contra Pruſſos, Tartaros, aliasq; barbaras gentes pro muro & vallo eſſet. Mittuntur ergo per Ægidium Epiſcopum Mutinenſem ſacra oſſa. Gens

tota cum Rege ſuo ad ſeptem milliaria tanto hoſpiti obviàm effuſa prodit. Deponitur honorificè Martyr in templo à Caſimiro extructo: pars corporis in primarium templum defertur, ac in marmoreo altari includitur. ℟. *Filiæ Jeruſalem.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli, Epiſcopi Alexandrini.

In Joannem Lib. 10. Cap. 13.

UT quantum oporteat inhærere ſibi, & ab eo pendêre,& quantùm nobis hoc prodeſt,oſtenderet, vitem ſe ipſum exempli ratione, & palmites affixos in eo credentes appellavit: qui participatione Spiritûs, per quem Salvatori conjungimur, naturæ ſuæ communicamus. Qui enim Domino, ut ait Paulus, adhæret, unus eſt Spiritus cum eo. ℟. *Ego ſum vitis, &c.*

Lectio VIII.

QUemadmodum igitur voce prophetica baſis & fundamentum appellatur (in ipſo enim ædificamur vivi lapides, ſpiritalesq; facti, ad habitaculum Dei in Spiritu & Sacerdotium ſanctum: nec ædificari niſi per Chriſtum poſſumus) ſic vitis appellatur, ut mater & nutrix palmitum. Regenerati enim ex Chriſto, & per ipſum in Spiritu ſumus ad referendum fructum vitæ, non illius

priscæ; sed hujus novæ, quæ est per fidem & charitatem erga ipsum. ℟. *Candidi facti sunt, &c.*

Lectio IX.

De S. Monica, ut in Breviario Romano.

Ad Missam Introitus. Protexisti me Deus, &c. *Ut in Patron. Regni Poloniæ habetur.*

Die V. Maji.

IN FESTO S. GOTHARDI, Episc. & Confess. *Duplex.*

Omnia de communi Pontif. Confess.

ORATIO.

DEUS, qui meritis Sancti Gothardi Confessoris tui, atq; Pontificis semper es, & ubiq; mirabilis, quæsumus clementiam tuam, ut sicut ei eminentem gloriam contulisti, sic ad consequendam gratiam tuam, ejus nos facias precibus adjuvari. Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

PRæclarâ indole puer Gothardus, in Bavaria, juxta Monasterium Althaënse, parentibus Christianis natus, in idem Monasterium, literarum disciplinis erudiendus traditur. Ubi in sacris studiis simul & pietate tantos progressus fecit, talemq; se ex-

se exhibuit, ut non modò sacris ordinibus initiari, sed etiam in ejusdem Monasterii Pastorem & Abbatem, communi fratrum consensu eligi meruerit. Sic verò Monasterio, in sanctitate & justitia Deo serviens, præfuit; ut & exactissimam religiosè vivendi normam in se exprimeret, & vigiliarum, orationum, jejuniorum frequentia & assiduitate, magnaq; vitæ austeritate cunctis admirando exemplo esset. ℟. *Inveni David.*

Lectio V.

HAc vitæ ratione, ac monasticæ disciplinæ reformandæ studio, non tantùm suum Monasterium; sed etiam Hersfeldense, Degerense, & Cremense, quorum cura ei incumbebat, ad sancti instituti perfectam observationem revocavit. Sanctitatis igitur ejus famâ, longè lateq; diffusâ, Gothardus à Sancto Henrico Imperatore, ad regimen Hildeshemensis Ecclesiæ vocatur, At ille diu multumq; renitens, tandem manifestæ Divinæ vocationi obsequens, ejusdem Ecclesiæ Episcopus constituitur. Quanta tum ejus sanctitas enituerit; mira opera, quæ Deus per eum edere dignatus est, satìs declarant. ℟. *Posui adjutor.*

Lectio VI.

EXacto vitæ curriculo, in Vigilia Ascensionis Domini, quam vitæ suæ terminum fore prædixerat, sacro oleo priùs unctus, mediâ nocte, cùm à fratribus, in matutinis laudibus, versus Cantici Zachariæ caneretur; Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent; Vir Sanctus, in

extremo jam mortis agone desudans, sublatis ægrè oculis, subjunxit; Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Clero verò; Gloria Patri, & Antiphonam: Ascendo ad Patrem meum, concinente, felicissima anima ad cœlos migravit. Sepultus in æde primaria Hildeshemensi, multis ibidem claret miraculis. ℞. *Iste est qui &c.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Vigilate, &c. *Ut in communi Confess. Pontif.*

Ad Missam Introitus. Sacerdotes tui &c.

Die VII. Maji.

IN FESTO

S. STANISLAI Episc. & Mart. *Duplex.*

Omnia de communi Mart. tempore Paschali, præter ea, quæ hic assignantur.

ORATIO.

DEus, pro cujus honore gloriosus Pontifex Stanislaus gladiis impiorum occubuit: præsta quæsumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectiones ut in Breviario Romano.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem. Cap. 10.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

De verbis Dom. Serm. 50.

AUdivimus Dominum Jesum commendantem nobis boni pastoris officium: in qua commendatione admonuit nos utique, ut intelligi datur, bonos esse pastores. Et tamen ne intelligeretur perverso modo multitudo pastorum, Ego sum, inquit, pastor bonus, & unde sit pastor bonus, consequenter ostendit: pastor, inquit, bonus animam suam pro ovibus ponit. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonné bonus pastor? Nonné & ipse animam suam pro ovibus posuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apostoli? Quid eorum tempora consequentes beati Episcopi Martyres? Quid etiam Sanctus Stanislaus? Nonné omnes pastores boni, non mercenarii, de quibus dicitur: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam? Omnes ergo illi pastores boni, non solùm quia sangvinem fuderunt; sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, sed charitate. ℟. *Ego sum vitis vera.*

Lectio VIII.

NAm & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fue-

ſi fuerunt, nomine Martyrii ſe jactant; ut hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi ſunt. Si autem vultis ſcire, in quo numero habendi ſunt, paſtorem bonum, Paulum Apoſtolum audite: quoniam non omnes, quia corpora ſua in paſſione etiam ignibus tradunt, æſtimandi ſunt ſangvinem fudiſſe, non pro ovibus, ſed potiùs contra oves. Si diſtribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ecce venitur ad paſſionem: ecce venitur & ad ſangvinis effuſionem, venitur & ad corporum incenſionem; & tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia: detrahe charitatem, nihil proſunt cætera. ℟. *Candidi facti ſunt Nazaræi.*

Lectio IX.

QUale bonum eſt charitas iſta, fratres? Quid pretioſius? Quid luminoſius? Quid firmius? Quid utilius? Quid ſecurius? Multa ſunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi ſunt: Domine in nomine tuo prophetavimus: in nomine tuo dæmonia ejecimus: in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec reſpondebit ille, Non feciſtis: non enim in conſpectu tanti judicis audebunt mentiri aut jactare, quæ non fecerunt; ſed quia charitatem non habuerunt, reſpondebit omnibus illis: Non novi vos. Quomodò autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam convictus non amat unitatem? Hanc Dominus unitatem commendans paſtoribus bonis, commendans paſtores bonos, noluit multos appellare paſtores,

Neq;

Neq; enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli cæteri, & posteriores Sancti Episcopi, beatus Stanislaus? Omnes hi pastores boni; & tamen ille pastoribus bonis non commendavit pastores bonos, sed pastorem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. *Te Deum laudamus.*

Ad Missam Introitus. Protexisti me Deus, &c. *Ut in communi Pontif. Mart. tempore Paschali.*

Oratio. Deus, pro cujus honore &c. *Evangel.* Ego sum pastor bonus &c. *Ut in Festo S. Thomæ Canthuariensis Episcopi & Mart. 29. Decembr.*

Die XIII. Maji.

IN FESTO
S. SERVATII Ep. Conf.

ORATIO.

DEus, qui populo tuo sanctum dedisti Servatium prædicatorem, concede quæsumus, ut nos tanti Pontificis intercessione, & tuæ pietatis defensione, ab omnibus ubiq; liberemur adversis, & tranquillâ prosperitate in tua jugiter laude lætemur. Per Dominum.

Lectio III.

SErvatius Episcopus Tungrorum, strenuus defensor fidei Catholicæ, assiduè vigiliis ac jejuniis misericordiam Domini precabatur, ne ab Hunnorum gente Gallia infestaretur; Romamq; ad S. Petri tumulum propterea properavit, ut adjunctis sibi Apostolicæ virtutis patrociniis, faciliùs obtineret. Verùm responso accepto, Hunnos Gal-

lias

lias depopulaturos, ipsius autem oculos non visuros, ad suos rediens rebus dispositis valedicit, & Trajectensem Urbem moriturus accedit: Ubi modicâ febre correptus, ad meliorem transiit vitam. Cujus ibidem sepulchrum, quamdiu sub dio fuit, nix nunquam attigit, multisq; miraculis claret.

Die XXXI. Maji.
IN FESTO SS. CANCII, CANCIANI, & Cancianillæ Mart. *Duplex.*

ORATIO.

DEus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quiq; hanc diem beatorum Cancii, Canciani & Cancianillæ Martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ natalitio tantæ festivitatis gratulari, ut apud misericordiam tuam & exemplis eorum, & meritis adjuvetur. Per Dominum, &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Epistolis S. Ambrosii Episcopi.

Lectio IV.

CAncius, Cancianus & Cancianilla fratres Aquilejæ nobili genere nati, fidei Christianæ accusati cùm essent, de iis Dulcius Præses Maximianum Imperatorem consuluit, qui, nisi idolis immolarent,

larent, capite plecti jussit. Quam rem ubi illi resciverunt, vehiculo ab urbe egressi, ut irati Præsidis furorem declinarent, non longè inde à Satellitibus comprehensi, in fide constantissimi cùm sacrificare idolis nullo modo voluissent, unà cum Proto pædagogo cruciati, demum cervicibus præcisis martyrio coronantur. Eorum corpora Mediolanum translata in Basilica Metropolitana recondita sunt.

Ex Epist. S. Cypriani Episcopi & Mart: ad Martyres.

Lectio V.

IMposuerunt compedes pedibus vestris, & membra felicia, ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt, quasi cum corpore ligetur & Spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus, & fidem suam religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincula; Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, sed à Domino resolvuntur! O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes in sæculo ad præsens ligati, ut sint semper ad Dominum liberi!

Lectio VI.

QUis non libenter, & promptè calicē salutis accipiat? Quis non appetat gaudibundus, & lætus, in quo aliquid & ipse Domino suo retribuat? Quis non pretiosam in conspectu Dei mortem fortiter, & constanter excipiat, placiturus ejus oculis, qui nos in congressione nominis sui desu-

desuper spectans volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis, ac pietatis paternæ remunerans, in nobis quidquid ipse præstitit, & honorans quod ipse perfecit.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi Homil. 78. in Joan.

UT ostenderet post tristitiam gaudium secuturum, naturale adducit exemplum. Mulier cùm parit, tristitiam habet: quâ parabolâ in calamitatibus Prophetæ usi sunt: quasi dicat: Dolores capietis, sed quales partus? qui lætitiæ causa sunt. Simul & resurrectionem confirmat, indicans abitum suum perinde esse, ac si ex utero matris in lucem prodeat: quasi dicat: Nolite admirari, si per hanc tristitiam ad optima vos ducam, nam & mater in pariendo sic per tristitiam transit.

Lectio VIII.

SIgnificat autem hìc & mysterium quoddam, quod mortis dolores solverit, & novum hominem regenerari fecerit. Neque dixit tantùm tristitiam transituram, sed magnitudine lætitiæ succedente, nihil ejus penitùs remansurum: ità erit Sanctis. Atqui non propterea gaudet mulier, quia venit homo in mundum, sed quòd filium peperit.

Nam,

Nam, si id esset, nihil prohiberet, quin, quæ non pariunt, aliis parientibus gauderent.

Lectio IX.

QUa ergo gratia sic inquit? Quia ad hoc solùm adduxit exemplum, ut brevem tristitiam perpetuum gaudium secuturum, & se ad vitam transferri, & magnum malorum lucrum ostenderet. Et non dixit, & peperit filium: sed, quia venit homo in mundum, ubi suam significat resurrectionem & non morti illi, sed regno, parturiendum. Ideo non dixit, quia natus est filius, sed homo. Et vos nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: inde, quòd non ampliùs morietur, inquit: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Te Deum laudamus.*

Ad Missam Introitus. Sancti tui Domine, &c. *Ut in Communi plurim. Mart. tempore Paschali.*

Extra tempus Paschale Lect. 3. Noct. ut in Festo Decem millium Martyr. 22. Junii.

Ad Missam Introitus. Sapientiam Sanctorum, &c. *Ut in Communi plurim. Martyrum.*

IN FESTO
SS. TRINITATIS
Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano.

Die Secunda.

Infra Octavam SS. Trinitatis,
Semiduplex.

Lectio-

Lectiones primi Nocturni.

De Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Athanasii Episcopi.

Lectio IV.

MIrum est, impios ista nefaria audere garrire, cùm & homines sint, & quæ in terra sunt, nequeant explicare. Sed quid dico, quæ in terra sunt? imo vel sua ipsorum nobis exponant, videantq; num satis explorate investigare queant, quæ ipsorum naturæ sunt. Homines profectò audaces, & protervi, qui non tremunt eam gloriam, in quam cupiunt Angeli proni, inclinatique aspicere; cûm præ illis longè sint naturâ, & ordine sublimiores. Quid enim propinquiùs Cherubinis & Seraphinis? Illi non obruentur hac Majestate, aut in pedibus erectos se tenent; imo ne faciem quidem nudam relinquunt: sed eà obvelatà gloriam, Majestatemq; Dei labiis nunquam cessantibus extollunt, nihil aliud, quàm divinam, & ineffabilem naturam triplici titulo sanctitatis glorificantes. ℞. *Quis Deus magnus.*

Lectio V.

NEque est quisquam sanctorum Prophetarum inter eos, qui maximè digni habiti sunt, ut istiusmodi spectaculis interessent, qui nobis id se audisse renunciavit, angelos illos in primis vicibus exclamandi, sanctus, maximâ voce usos esse. In secundis autem non æquè magna: in tertiis adhuc submissiori: & primam sanctificationem pro-

priam, legitimamq; esse, secundam autem inferioris notæ, tertiam adhuc gradatim deterioris conditionis esse. Apagesis, valeat dementia execrabilium hominum. Trinitas enim undecumque laudabilis, & venerabilis, & adoranda una est, & indivisibilis, & quæ figura exprimi nequeat. ℟. *Tibi laus.*

Lectio VI.

CONjunguntur autem unà hæ sanctificationes pro insecabili illa Unitate. In eo enim ipso, quo amplissima illa animantia tertiò proferunt glorificationem, dum ajunt, sanctus, sanctus, sanctus, triplici numero tres perfectas absolutas, integras personas ostendunt, quemadmodum sub unica voce, Dominus, unam substantiam declarant. Hæc est enim vera doctrina, hoc est verũ signum, argumentúmq; quod ita ista inter se consentiunt, neque diffident, vel inter se, vel inter Patres: nam etsi temporibus distent, in id tamen omnes contendunt, neque immerito: unius enim Dei Prophetæ sunt, unumq; & idem verbum concorditer prædicant. ℟. *Magnus Dominus.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Hilarii Episcopi.

SUfficiebat quidem credentibus Dei ſermo, qui in aures noſtras Evangeliſtæ teſtimonio cum ipſa veritatis ſuæ virtute transfuſus eſt, cùm dicit Dominus: Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Quid enim in Sacramento ſalutis humanæ non continetur? aut quid eſt, quod reliquum ſit, aut obſcurum? Plena ſunt omnia, & perfecta, ut à pleno, & perfecto: nam & verborum ſignificationem & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem & naturæ intelligentiam comprehendunt. ℟. *Benedicamus.*

Lectio VIII.

BAptizare juſſit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, id eſt, in confeſſione & Auctoris & Unigeniti, & Doni. Auctor eſt unus omnium: Unus eſt enim ingenitus Deus Pater, ex quo omnia: & unus Unigenitus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, per quem omnia: & unus Spiritus, donum in omnibus: omnia ergo ſunt ſuis virtutibus, ac meritis ordinata: una poteſtas innaſcibilis, ex qua omnia: una progenies, per quam omnia: perfectæ ſpei munus unum. Nec deeſſe quicquam conſummationi tantæ reperietur, intra quam ſic in Patre & Filio & Spiritu ſancto, infinitas in æterno, ſpecies in imagine, uſus in munere. ℟. *Duo Seraphim.*

Lectio IX.

SEd compellimur hæreticorum & blaſphemantium vitiis illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia lo-

lia loqui, inconcessa præsumere: & cum sola fide expleri, quæ præcepta sunt, oporteret adorare scilicet Patrem, & venerari cum eo Filium, Sancto Spiritu abundare; cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia sunt, extendere, & in vitium vitio coarctamur alieno; ut quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquii proferantur. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est: & sensus, non sermo fit crimen. *Te Deum.*

Die Tertia

Infra Octavam SS. Trinit. *Semid.*

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Lectio IV.

ANima quandam Sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quia sicut Deus est, vivit, & sapit, ita anima secundùm suum modum est, vivit, & sapit. Est quoque & alia Trinitas in ea, quâ ad imaginem sui Conditoris perfectæ quidem, & summæ Trinitatis, quæ ex Patre, & Filio, & Spiritu Sancto condita est; & licèt unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem & memoriam. ℟. *Quis Deus.*

Lectio V.

NAm sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filio-

Filioque procedit Spiritus Sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, ficut facilè à fapiente quolibet intelligi poteft: nec enim anima perfecta poteft effe fine his tribus, nec horum trium unum aliquod, quantum ad fuam pertinet beatitudinem, fine aliis duobus integrum conftat, & ficut Deus Pater, Deus Filius, Deus fpiritus fanctus eft, non tamen tres Dii funt, fed unus Deus, tres habens perfonas; Ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, fed una anima, tres habens dignitates. ℟. *Tibi.*

Lectio VI.

ATque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in fua natura nofter interior homo, ex quibus quafi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere conditorem, ut in quantùm intelligitur, diligatur, & quantùm diligitur, femper in memoria habeatur. Nec folus fufficit de eo intellectus, nifi fiat in amore ejus voluntas, imo nec hæc duo fufficiunt, nifi memoria addatur, quâ femper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus, ut ficut non poteft effe momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, & mifericordiâ; ita nullum debeat effe momentum, quo præfentem eum non habeat memoria. ℟. *Magnus.*

In III. Nocturno.

Lectio fancti Evangelii fecundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Et reliqua.

Homilia S. Joanni Chrysostomi.

VIde, oro, testimonia sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, & venerare illam rectè, nè pereas, & dixit, inquit, Deus: Faciamus hominem secundùm imaginem nostram: cum quo consilium init Deus? cum Angelis, inquis. At non habent Angeli imaginem Dei. Loquitur autem ad coopificem, Filium, & Sanctum Spiritum. Audi Psaltem dicentem; Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum; non ignoras autem, Verbum esse Filium. Iterum & alio loco dicit scriptura: Venite, & descendamus, & confundamus illorum lingvas dicendo: Venite, pares honore exhortando vocat: unius est vox ad duos honore æquales. ℟. *Benedicamus.*

Lectio VIII.

AUdi quoque & beatum Job, qui manifestè declarat inseparabilem Trinitatem, dicit enim: Vivit Dominus, qui me sic judicavit, & Omnipotens, qui amaram fecit animam meam, & Spiritus divinus, qui tenetur in manibus meis dicendo, Dominum & Omnipotentem, & Spiritum Dei, consubstantialem prædicat. Disce & hymnum Seraphim clamantium tertio, Sanctus, Sanctus, Sanctus;

ctus; non enim dicunt semel, neque bis, neque quater, ut ne multis nominibus multos Deos nobis inducerent, sed unum solum. Ter autem dicendo, Sanctus, manifestant unam & æqualem gloriam Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Audi item & Prophetam dicentem: Spiritus Domini locutus est in me, & sermo illius in ore meo pronuntiatus est: quia Deus erat sermo: ecce dicendo: Spiritum Domini, & sermonem, & Dominum pronuntiat inseparabilem Trinitatem. ℟. *Duo.*

Lectio IX.

PEr hæc omnia unum regnum indivisibilis Trinitatis intelligere possumus. Ipse autem Deus sermo, qui propter nos verè incarnatus rediturus unde venerat, dicit Sanctis Apostolis suis: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes illos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: obsignati sumus, sed unum signaculum est Sanctæ Trinitatis unum Baptisma; quomodo igitur audes à paterna substantia alienare Filium, vel Spiritum Sanctum? Neque enim alieni sunt, cum Patre debebant connumerari; quanam ratione in Baptismo debuerunt annumerari? Enim verò, si nomen Patris solum, eum qui baptizatur, potest salvare; quare coassumuntur & creaturæ; quasi Pater non possit solus salvare? Absit. *Te Deum.*

Die Quarta

Infra Octavam SS. Trinitatis.

Semiduplex.

Lectiones primi Nocturni.

De Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex libro S. Cyrilli Episc. Alexandrini contra Julianum.

Lectio IV.

UNum & solum Deum dicebat, confitebaturq; manifestè illum esse divinus Abraham, quem nominabat excelsum, & universorum nativitatis auctorem, quæ in cœlo & in terra. Procedente verò tempore mentem acuit, ut plus cognosceret, & tunc firmiores de Deitate sermones didicit; non enim solùm, quòd unus sit Deus, & alius præter illum nullus, didicit: sed & quod in sancta & consubstantiali Trinitate intelligatur unius & immaculatæ naturæ plenitudo, quasi in figuris adhuc, & sensibiliter docebatur. ℟. *Quis.*

Lectio V.

SCriptum enim sic est de Abraham. Apparuit autem Deus ad quercum Mambre sedente ipso in ostio tabernaculi sui in meridie. Cùm autem suspexisset, oculis suis vidit; & ecce tres viri steterunt super eum, & videns occurrit in occursum eis, & adoravit super terram & dixit: Domine, si inveni gratiam coram te, ne prætereas puerum tuum. Ecce manifestè, inquit, apparuisse illi quidem Deum: fuisse autem tres viros, qui videbantur, accurrentemque divinum Abraham non tanquam tribus dixisse: Domine, si inveni gratiam coram vobis, nè prætereatis puerum vestrum; Domi-

Dominum autem ſingulariter nominaſſe tres. ℟. *Tibi laus.*

Lectio VI.

VIde obſecro, vide tres quidem fuiſſe, qui apparuerunt, ſubſtitiſſe autem in propriis ſubſiſtentiis ſingulos, ſermone conſubſtantialitatis in unum comprehenſos, & ita datâ operâ colloquia inter ſe miſcuiſſe. Verumtamen ejuſmodi imagines obſcuræ quidem ſunt & veritatem non ſatis exprimentes, quamvis miram utilitatem habeant, ut manu ducant ad ea, quæ mentem & ſermonem noſtrum excedunt: Nam unica quidem ex confeſſo eſt Deitatis natura, quæ ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus: dilatatur autem mentaliter in ſanctam Trinitatem, venerandámque ac conſubſtantialem, in Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum ſanctum. ℟. *Magnus Dominus.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VIII.

IN illo tempore: Dixit JEſus Diſcipulis ſuis. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Et reliqua.

Homilia ſancti Hieronymi Presbyt.

DAta eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra, illi poteſtas data eſt, qui paulò ante crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui poſtea reſurrexit. In cœlo autem, & in terra poteſtas

data est: ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet & in terris. Euntes autem docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Primùm docent omnes gentes. deinde doctas intingunt aquá. ℟. *Benedicamus.*

Lectio VIII.

NOn enim potest fieri, ut corpus Baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: ut quorum una est divinitas, una sit largitio; noménque Trinitatis, unus Deus est. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis, ordo præcipuus: jussit Apostolis, ut primùm docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramento: & post fidem ac Baptisma, quæ essent observanda, præciperent. ℟. *Duo.*

Lectio IX.

AGnè putemus levia esse, quæ jussa sunt, & pauca; addidit: omnia quæcunque mandavi vobis: ut quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta sunt. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum. *Te Deum.*

In Die

In Die Octava.

Sanctissimæ Trinitatis. *Duplex.*

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Lectio IV.

DEus ipse, quem quærimus, adjuvabit, ut spero, nè sit infructuosus labor noster, & intelligamus, quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro: Lætetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper; videtur enim, quod semper quæritur, nunquam inveniri; & quomodo jam lætabitur: & non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire, quod quærunt? non enim ait: lætetur cor invenientium, sed quærentium Dominum: & tamen Dominum Deum inveniri posse, dum quæritur, testatur Esaias, dum dicit: Quærite Dominum, & mox, ut inveneritis, invocate eum. ℟. *Quis.*

Lectio V.

SI ergo quæsitus inveniri potest, cur dictum est quærite faciem ejus semper? An & inventus fortè quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui, quam sit incomprehensibile, quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, & melior, meliorq; fit quærens tam magnum bonum, quod & inveniendum quæritur, & quæren-

rendum invenitur? Nam & quæritur, ut inveniatur dulciùs, & invenitur, ut quæratur avidiùs. ℟. *Tibi laus.*

Lectio VI.

SEcundùm hoc accipi potest, quod dictum est, in libro Ecclesiastico dicere sapientiam: Qui me manducant, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient: manducant enim, & bibunt, quia inveniunt; & quia esuriunt, ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit: Propter quod ait Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis: & rursus intellectus eum, quem invenit, adhuc quærit. Deus enim respexit super filios hominum, sicut in Psalmo sacro canitur, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Ad hoc ergò debet homo esse intelligens, ut requirat Deum. ℟. *Magnus.*

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Episcopi.

TRia nomina seorsum, singula suam peculiarem quandam proprietatem apertè significant, quæ piè considerari in ipsis potest: atque in Patre quidem proprietas Patris, in Filio verò proprietas Filii,

in Spi-

in Spiritu ſancto poſtremo ſua quædam à duobus diverſa proprietas, cum neque Spiritus ſanctus à ſe ipſo loquatur, neque Filius à ſemetipſo faciat quicquam: ac Pater quidem Filium mittat, Filius verò Spiritum Sanctum. Sic ſentimus,& ſic baptizamus in Trinitatem conſubſtantialem, idque ex præcepto ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,& Filii,& Spiritûs ſancti: docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. ℟. *Benedicamus.*

Lectio VIII.

QUæ ſervantes, & charitatem erga illum habere nos demonſtramus, & digni efficimur, qui in ea maneamus. Quod cùm ità ſit, magnopere hortor, & hortatos velim vos, fratres chariſſimi, ut miſſa iſtiusmodi curioſa inveſtigatione flagitioſâque verborum contentione, his contenti ſimus, quæ à ſanctis viris, atque ab ipſo adeò Domino noſtro Jeſu Chriſto dicta ſunt, eâque ſentiamus, quæ reſpondeant cæleſti vocationi; & vitam agamus Chriſti Evangelio convenientem, ſempiternam vitam, & cæleſte regnum ſperantes, paratum omnibus ſervantibus mandata Dei, & Patris, quæ ſunt ſecundum Evangelium beati Dei Jeſu Chriſti Domini noſtri, in Spiritu ſancto, & veritate. ℟. *Duo Seraphim.*

Nona Lectio de Homilia Dominica infra Octavam Corporis Chriſti.

FESTA

FESTA JUNII.

Die III. Junii.

IN FESTO S. ERASMI Episc. M.

Duplex.

ORATIO.

DEus, cujus virtute beatus Erasmus Martyr & Pontifex multa tormentorum genera superavit, fac nos, quæsumus, ejus intercessione, universas insidias inimicorum nostrorum visibilium, & invisibilium cum gaudio superare, & in Christo bonis operibus abundare. Per eundem Dominum nostrum, &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

ERasmus Episcopus, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano in Campania plumbatis & fustibus cæsus, resinâ quoque, sulphure, plumbo liquefacto & ferventi pice, cerâ, oleoq; perfusus, inde tamen integer, & inviolatus evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verùm is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis gravissimisq; vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde Formiis à Maximia-

ximiano variis affectus ſuppliciis, tunicaque ærea candenti indutus, illa etiam tormenta divinâ virtute ſuperavit. Denique plurimis & in fide confirmatis & ad fidem converſis, inſignem Martyrii palmam adeptus eſt.

Sermo S. Fulgentii Epiſcopi. *De S. Cypriano.*

Lectio V.

CLarum tanti Martyris natalis diem, beati ſcilicet Eraſmi, quo terrenis, ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigravit, & ſacerdotii ejus doctrinam, ac Martyrii nobis victoriam commendavit, fecitq; ex temporali quondam triſtitia liberiorem. Dum enim inter periculum cruentæ mortis, & gloriam devoti certaminis Epiſcopus confitendo patitur, Eccleſia orando compatitur. Quis neſciat, hunc ipſum, qui nunc annua circumſtitutione feſtus nobis revolvitur dies Chriſtianis ac religioſis mentibus illo tunc tempore fuiſſe ſollicitum, dum adversùs diabolum ab antiſtite ſuſcepto culmine pia plebis expectatio trepidaret, atq; ita fides reſiſteret perſequenti, ne caro ſuccumberet blandienti, ita paſtor præcederet: ne ovile deſereret, deſertumq; lupus invaderet.

Lectio VI.

DOlebat Eccleſia ſubtractum interim ſuo conſortio tàm clariſſimum ſacerdotem: ſed tamen gaudebat proſtrato adverſario Chriſti Martyrem extitiſſe victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, verſabatur ante oculos virtus mirabilis, quando Sanctus DEO ſervabat, quod

quod docuerat, & quid cæteri facere deberent, non jam verbis, sed operibus demonstrabat, fidem sermonum exemplis, rerum valida soliditate confirmans, credens, & confidens pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro ejus nomine non subtrahere occidendum. Cujus enim sangvine tunc indignus redemptus fuerat, dignum suum sangvinem pro illo fundebat, & cujus sangvinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi æternam vitam reddi posse crediderat.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem. Cap. 15.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi. *Ex Tract. 80. in Joann.*

MAnentes ergo in eo cùm verba ejus in nobis manent, quodcunq; voluerimus, petimus, & fiet nobis. Quia si petimus, & non fiet, non hoc petimus, quod habet mansio in eo, nec quod habent verba ejus, quæ manent in nobis: sed quod habet infirmitas & cupiditas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent verba ejus. Nam utiq; ad verba ejus pertinet oratio illa, quam docuit: ubi dicimus: Pater noster, qui es in cœlis.

Lectio

Lectio VIII.

AB hujus orationis verbis & sensibus non recedamus petitionibus nostris, & quid quid petierimus, fiet nobis. Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus, quæ præcipit, & diligimus, quæ promisit; quando autem verba ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non trahit ex radice.

Lectio IX.

AD hanc differentiam valet, quod scriptum est, & memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea: multi enim memoriâ retinent, & contemnunt, vel etiam derident, & oppugnant ea. In his verba Christi non manent, quia tangunt quodammodò, non cohærent: & ideo illis non erunt in beneficium, sed in testimonium, & quia sic insunt eis, ut non maneat in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut judicentur ex eis. *Te Deum.*

Ad Missam Introitus. Protexisti me Deus, &c. *Extra tempus Paschale Lect. 3. Noct. ut in Festo S. Vincentii Episc. M. 7. Junii.*

Ad Missam Introitus. Sacerdotes Dei &c.

Die VII. Junii.
IN FESTO
S. VINCENTII Episc. & Mart. *Semidup.*

ORATIO.

DEus, qui nos beati Vincentii Martyris tui atq; Pontificis sacrum natalitium celebrare concedis, ejus continuâ intercessione super nos misericordiam tuam multiplica, ut cujus patrociniis gloriamur, ejus suffragiis præsentis vitæ subsidia, & æternæ salutis præmia consequamur. Per Dominum &c.

In II. Nocturno.

De Sermone S. Maximi Episcopi.

Lectio IV.

HIc est ille Evangelicus Paterfamilias, proferens de thesauro suo nova, & vetera, qui veteris noviq; testamenti unum atq; idipsum mysterium prædicans, Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditavit. Incorruptibilis, atq; indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam Domini sui nummularii fœnerans, quotidie in corde fidelium cœlestium divitiarum sanctam conquirit usuram.

Lectio V.

QUid igitur, fratres, tantô speciosius Virô, cujus hæc est regula, & mensura sermonis, ut inter varias hominum causas motusque diversos, nunc affectione patris, nunc auctoritate doctoris consoletur humiles; superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tanto deniq; decore sacerdotium, vitamq; suam Vir fidelissimus adornavit, ut doctrinam suam subsequentibus confirmaret operibus, Dominicam illam sententi-

tentiam tenens; qui docuerit & fecerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Lectio VI.

QUàm magnus hic, quàmq; præcipuus in regno cœlorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, & mors Deo devota sublimat? Nec immeritò, fratres, tanto cum honore nominis ejus memoria, per amplissima mundi spatia celebratur: Quia per universum orbem ad firmamentum fidei nostræ, & passio ejus, & doctrina profecit.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

VEritas dicit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat: nec valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare, quod est. Sed jam, qui se à vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt, in quibus crescat. Nam cùm dictum est: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; protinus adjungitur, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Lectio VIII.

DUobus etenim modis crux tollitur, cùm aut per

per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter utroq; modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis; nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Perfectus quippe prædicator, ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore: & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.

Lectio IX.

QUi enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Sic dicitur fidelt: Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam eam faciet. Acsi Agricolæ dicatur: Frumentum si servas, perdis, si seminas, renovas: Quis enim nesciat, quòd frumentum, cùm in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed unde putrescit in pulvere, inde virescit in renovatione. *Te Deum laudamus.*

Ad Missam Introitus. Sacerdotes Dei &c. *Tempore verò Paschali Lect. 3. Noct. ut in Festo S. Erasmi Episc. Mart. 3. Junii.*

Ad Missam Introitus: Sancti tui &c. *ut in communi Martyr. tempore Paschali.*

Die

Die XVI. Junii.

IN FESTO S. BENNONIS Episc. & Confess. *Duplex.*

Officium fit de Com. Pont. & Confess.

ORATIO.

DEus, qui nos B. Bennonis Pontificis confessione gloriosâ circumdas & protegis: da nobis & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

De Bulla Canonizationis.

FRidericus Bultenburgensis, Vir nobili loco natus, Pater fuit B. Bennonis, quem ex Bezela, pia ejus uxore susceperat. Cùmq; in B. Bennone ab ineunte ætate bona indoles eluceret, ne illa æqualium studiis, malis moribus, ac depravatis opinionibus, ut illa ætas assolet, corrumperetur, magnoperè sibi providendum existimavit, & eum, ut primùm ex infantia excessit, D. Bernardo Episcopo Hildesemensi commendavit & tradidit. Qui cùm negotium sibi commissum attenderet, ut puer ad virtutem rectè informaretur, illum primùm ad amorem Dei Opt. Max. induxit. Deinde verò cùm Vir prudens intelligeret utile esse, si literæ cum virtute conjungerentur, B. Bennonem à Bigario, bono sanè viro & docto institu-

tuendum curavit, sub quo magnos ille progressus fecit. Quamobrem ineunte jam adolescentiâ, cùm ad bene beateq; vivendum satis instructus esset, Monasticæ vitæ rationem suscepit. Monachus factus, rejectis voluptatibus, omnem vitæ cursum in virtute confecit. ℟. *Inveni David.*

Lectio V.

QUod cùm fratres, cum quibus vivebat, probâssent, defuncto eorum Abbate, cunctis ferè suffragiis Abbatiam ei detulerunt. Verùm B. Benno, ut erat ab omni ambitione alienus, oblatum honorem recusavit. At urgentes illi & instantes, B. Bennonem vel invitum ad dignitatem rapiunt, quam ipse tertio post mense deposuit, seq; ad pristinam vitam; & bene quidem institutam retulit, cœpitq; eum charæ memoriæ Henricus III. Imperator diligere plurimùm: qui cùm videret sanctissimum hominem ad Rempub. bene gerendam natum esse, tantum Virum in Cœnobii angulis ætatem consumere passus non est: illum magnoperè repugnantem è Monasterio eduxit, ac Præposituræ Ecclesiæ Gossariensis, Hildesemensis Diœcesis, præfecit. ℟. *Posui adjutorium.*

Lectio VI.

IN ea cùm usq; ad ingravescentem ætatem integrè, casteq; conversaretur, Canonici Ecclesiæ Misnensis famâ ejus inducti, venerandum Senem, qui tunc quinquaginta sex annos natus erat, Ecclesiæ suæ præesse voluerunt. In qua cùm omnia præclarè, tum hoc præclarissimè egit, quòd Vandalos

dalos malè de religione ſentientes ex pernicioſo errore eripuit, eoq; traduxit, ut unà cum Catholica Eccleſia, pari ſtudio fidem Chriſtianam tuerentur. Cùm jam multis annis Beatus Præſul, famâ, vitâ, & miraculis ſupremá Dei gratiâ charus vixiſſet, & tandem ad vitæ curſum feliciter conſummandum plenitudinem dierum attigiſſet, ægrotare cœpit, brevi futurum ſperans, ut ex hac vita ad Superos, quorum conſvetudo dulcis eſt atq; æterna, migraret. Paulò antequam moreretur, Canonicos ſuos adhortatus eſt, ut eam charitatem, quam nos Chriſtus docuit, ſtudiosè complecterentur. Deinde Evchariſtiâ magna cum pietate ſuſceptâ è vita exceſſit quadrageſimo Pontificatûs ſui anno, poſt Chriſtum autem natum Milleſimo Centeſimo Sexto. ℟. *Iſte eſt.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evang. Homo peregrè proficiſcens &c.
Ad Miſſam Introitus. Statuit ei Dominus &c.

Die XXII. Junii.

IN FESTO
SS. DECEM MILLIUM
Martyrum. *Duplex.*

ORATIO.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: ut qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognovimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

DEcimo Calendas Julias passa sunt decem millia Martyrum, inter quos præcelsi meriti nominantur duo, Marcus & Alexander. Hi omnes uno die pro Christi nomine interempti sunt sub Adriano Imperatore, & aliis sex Regibus, qui ad illum in belli societatem accesserant. Hi, cùm ab Imperatore ad sacrificandum idolis compellerentur, responderunt, illicitum esse, sacrificium offerre surdis & mutis idolis, sed semetipsos offerre in hostiam Jesu Christo, Deo vero & vivo pro nobis plurima passo & tandem crucifixo. ℟. *Sancti tui.*

Lectio V.

IMperator his auditis jussit eos torqueri, & iisdem pœnis affici, quæ Christum tolerâsse prædicabant; & ad extremum à reliquo triginta millium exercitu crucifigi; quæ omnia illi forti animo, & fide firmissimâ pro Christo sustinerunt. Inter eos crucifixus est Sanctus Hermolaus Archiepiscopus, qui eosdem Martyres baptizaverat. Passi autem sunt in monte Ararath prope Alexandriam Armeniæ, horâ sextà, ac eâdem, quâ Christus in cruce patiebatur. Factâ autem oratione, in confessione Domini emiserunt spiritum. ℟. *Verbera carnificum.*

Lectio VI.

De Sermone S. Gregorii Pp. *Homil. 22. in Evang.*

AD Sanctorum Martyrum corpora consistimus, fratres

fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissimè constitisset, esse vitam, pro qua mori debuissent? Et ecce, qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora, viventes ægri veniunt, & sanantur: perituri veniunt, & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergò vivunt illic, ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hìc, ubi mortui sunt? ℟. *Tanquam aurum.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Descendens JEsus de monte, stetit in loco campestri, & turba Discipulorum ejus & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri & Sidonis. Et reliqua.

De Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Festo omnium Sanctorum.

LEgimus in Evangelio hodie, quoniam videns turbas Jesus, ascendit in montem. Prædicantem enim Dominum de civitatibus & castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas, sanabat & corpora; & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cujus nimirum vox svavis, & facies decora, sicut scriptum est: Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Talis est, quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis: in quem non so-

ſum populi, ſed & ipſi quoq; Angeli ſancti deſiderant proſpicere. ℟. *Propter Teſtamentum.*

Lectio VIII.

QUid vobis ſvavius apponemus? Nimirum hæ ſunt deliciæ Angelorum. Guſtate proinde & videte quoniam ſvavis eſt Dominus. Et huic ſvavitati, huic ſapori, huic ſapientiæ, quæ trahitur de occultis, omne quod deſideratur, non valet comparari. Quid enim miraris in Sole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem? Sed à Deo hæc univerſa dona ſunt: nec dubium, quin multò amplius reſervaverit ſibi, quàm dederit creaturis. ℟. *Sancti mei.*

Lectio IX.

De Sancto Paulino. *Ut in Rom. Brev.*

Ad Miſſam Introitus. Sapientiam Sanctorum &c.

Die XXV. Junii.

Commemor. S. JOANNIS Apoſt. & Evangel. *Duplex.*

Totum Officium ut in die ejus Octava 3. Januarii.

FESTA JULII.

Die II. Julii.

IN FESTO VISITATIONIS B. M. V.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano.

Cùm

Cùm verò Festum Visitationis hic sit primæ Classis Lect. 7. de Homilia S. Ambrosii erit ut in Breviario. Lect. 8. terminetur ad illa verba. Non enim sola. *Lect. 9. usq; ad finem omissâ Lectione* SS. Processi &c. M.

Die III. Julii.

Translatio S. THOMÆ Apostoli. *Duplex.*

Omnia ut in Festo Ejusdem 21. Decembris.

Die IV. Julii.

De S. UDALRICO Episc. Confess.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, Beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis supplicatione placatus, tempora nobis pacifica tribue præsentia, & ab hostium visibilium & invisibilium nos defende nequitia. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio IX.

UDalricus, nobilis germanus à Martino Pontifice in demortui Adalberonis, Episcopi Augustani locum designatur, quod resciens ex urbe profugit. Elapso verò 15. annorũ spacio, cùm Hilcaneus Adalberonis successor è vivis excessisset, incredibili totius Cleri populique studio præficitur invitus. Huic divina quandoq; peragenti, adesse visa est manus virtute Omnipotentis cum ipso sacris benedicens. Ottonem Cæsarem, & Rudolphum

dolphum filium gravissimè dissidentes reconciliavit; Barbaros Augustanis mœnibus imminentes orationis vi propulsavit. Episcopatum 50. annis laudabilissime gubernans, miraculis clarus obdormivit: Sanctum Corpus Augustæ quiescit.

Die V. Julii.

Quarta Die

Infra Octavam Visitat. B. M. V.

Semiduplex.

Lectiones secundi Nocturni.

Ex die Tertia

Infra Octavam Concept. B. M. V.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ & salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXultavit Joannes, exultavit & Mariæ Spiritus. Exultante Joanne, repletur Elisabeth, Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum ejus exultare cognovimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in Matre: & illa post conceptum repletur, ista ante conceptum, Benedicta tu inter mulieres. Novit sermonem suum Spiritus Sanctus, nec unquam obliviscitur. Et

Pro-

Prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. ℣. *Beatam.*

Lectio VIII.

QUis est ille fructus ventris, nisi ille, de quo dictum est: Ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris? Hoc est, hæreditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetavit Isaias, dicens: Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Radix enim est familia Judæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus: qui veluti bonæ arboris fructus pro nostræ virtutis processu, nunc floret, nunc fructificat in nobis. ℟. *Felix.*

Lectio IX.

ET unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Non quasi ignorans dicit: scit enim esse Spiritûs sancti gratiam, & operationem, ut Mater Prophetæ à Matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed divinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit: unde hoc mihi? hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, ut Mater Domini mei veniat ad me? non cognosco meum. Unde hoc mihi? quâ justitiâ? quibus factis? pro quibus meritis? Non usitata hæc officia fœminarum sunt. *Te Deum laudamus.*

Die VII. Julii.
De S. WILIBALDO Episc. Conf.

ORA:

ORATIO.

DEUS, qui hodiernam diem Beati Wilibaldi Confessoris tui, atque Pontificis migratione consecrâsti, præsta quæsumus, ut cujus annuâ celebritate exultamus, ejus suffragiis tuæ pietatis consequamur effectum. Per Dominum, &c.

Sexta Die

Infra Octavam Visitat. B. M. V.

Semiduplex.

Lectiones secundi Nocturni.

Ex die Quinta

Infra Octavam Concept. B. M. V.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosii Episcopi.

VIdes non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideò fructum fidei consecutam? Beata, inquit, quæ credidisti, Sed & vos beati, qui auditis, & creditis. Quæcunque enim crediderit anima, & concipit, & generat Dei Verbum, & opera ejus agnoscit. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum: sit in singulis Spiritus Mariæ, ut exul-

ut exultet in Deo. Nam etsi secundùm carnem una Mater est Christi, secundùm fidem tamen omnium fructus est Christus. ℟. *Beatam.*

Lectio VIII.

OMnis enim anima concipit Dei verbum, si tamen immaculata & immunis à vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcunque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariæ magnificavit Dominum, & exultavit Spiritus ejus in Deo salutari suo. Non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi, sed quia magnificatur in nobis. Sed Mariæ, quò persona melior, eò prophetia plenior. ℟. *Felix.*

Lectio IX.

Pro S. Wilibaldo Episc. Confess.

WIllibaldus S. Richardo Anglorum Rege Parente procreatus, cùm trium annorum puerulus fœdâ quâdam macie penè consumeretur ex voto sanctæ Cruci oblatus, miraculosè sanitati restitutus est. Pueritiam vix egressus, Theodoreto tum temporis viro monasticæ disciplinæ peritissimo traditus est, ut artibus & pietate informaretur; brevique tempore in vita Spirituali & monastica amplissimos fecit progressus. Licentiâ dein à superioribus impetratâ Romam cogitat; ibique visitatis sacris liminibus, ad terram sanctam proficiscitur. Quo in itinere cùm lumine oculorum derepentè privaretur, nihilominùs tamen Hierosolymam ire satagens ad S. Crucem,

ceu Salutis suæ fontem iterum confugit, visúmq; recepit. Denique creatus Eystettensis Ecclesiæ Episcopus, summâ vitæ sanctimoniâ eidem præfuit, multis in vita, & morte miraculis clarus, Sanctorum Catalogo adscriptus est. Reliquiæ S. Episcopi in Aichstadiana Cathedrali honorificè asservantur. *Te Deum.*

In secund. Vesp. fit Com. de SS. Kiliano & Soc. M.

ORATIO.

PRæsta quæsumus; Omnipotens Deus, ut Beatorum Martyrum tuorum Kiliani, Colonati, & Tothnati solemnia recensentes, meritis ipsorum protegamur & precibus. Per Dominum, &c.

Die VIII. Julii.

IN FESTO S. MARGARITÆ Scotorum Reginæ, *Semid.*

ORATIO.

DEus, qui beatam Margaritam Scotorum Reginam eximia in pauperes charitate mirabilem effecisti, da ut ejus intercessione & exemplo tua in cordibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum, &c,

In II. Nocturno.

Lectio IV.

MArgarita Scotorum Regina paterno Angliæ Regum, materno Cæsarum sangvine clarissima illustrior adhuc fuit Christianâ virtute. Hæc in Hun-

in Hungaria nata, ubi Pater tunc temporis exulabat, post exactam summâ cum pietate puerilem ætatem, unà cum genitore, qui à sancto Edvardo patruo Anglorum Rege ad paterni Regni fastigium vocabatur, in Angliam venit. Mox alternante Parentum fortunâ, ex Angliæ littore solvens, vi tempestatis expulsá, seu veriùs divinæ Providentiæ consilio deducta est in oram maritimam Scotiæ. Ibi cùm ex Matris imperio Malcholmo tertio Scotorum Regi egregiis ejus dotibus capto nupsisset, sanctimoniæ ac pietatis operibus triginta, quibus regnavit annis toti Regno mirificè profuit.

Lectio V.

INter regales delicias corpus afflictationibus ac vigiliis macerans magnam noctis partem piis precationibus extrahebat. Præter alia jejunia, quæ identidem usurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia festa tantà cùm severitate jejunare consuevit, ut ne in gravissimis quidem doloribus intermiserit. Divino cultui addictissima, templa plurima & cœnobia partim ex integro excitavit, partim resarcivit, & sacra supellectili, ac largo censu ditavit. Regem conjugem ad meliorem frugem, & ad similia suis exercitationibus opera saluberrimo exemplo traduxit, liberósque omnes tam sanctè & feliciter educavit, ut eorum plerique quemadmodum & Agatha mater, & Christiana soror sanctissimum vitæ genus amplexi sint. Universi demum Regni fœlicitati consu-

lens, à vitiis omnibus, quæ furtim irrepserant, populos expurgavit, eisque mores Christianâ pietate dignos restituit.

Lectio VI.

NIhil tamen æquè in illa mirabile fuit ac flagrantissima charitas erga proximos, præsertim egenos, quorum numerosis gregibus non modò stipem affatim suppeditare; verùm etiam trecentis quotidiè maternà benignitate dapes præbere, flexis genibus in morem ancillæ ministrare, regiis manibus pedes abluere, & pressis etiam osculis ulcera fovere solemne habuit. His porrò, aliisque piis sumptibus non regias tantùm vestes, & pretiosa monilia distraxit, sed ipsum non semel exhausit ærarium. Toleratis demum ad patientiæ miraculum acerbissimis doloribus animam semestri corporis ægrotatione purgatam, Auctori suo quarto Idus Junii reddidit. Quo temporis momento facies ejus diuturni morbi macie, ac pallore fœdata, insolitâ quâdam venustate refloruit. Miris etiam post mortem prodigiis clara, & Clementis decimi auctoritate in Scotiæ Patronam accepta, ubique terrarum religiosissimè colitur. Cujus festum ab eodem Pontifice concessum, Innocentius undecimus, ad octavam Idus Julii transferri jussit.

In III. Noct. Homil. S.Greg. Papæ in Evang. Simile est Regnum Cœlorum Thesauro abscondito.

Lectio

Lectio IX.

Pro SS. Kiliano & Soc. M.

KIlianns & genere & pietate nobilis, zelo fidei Chriſtianæ propagandæ patriam & propinquos relinquens, divino nutu Wirceburgum Metropolim Franciæ orientalis cum ſociis appulit. Ejus ſanctitate & divini Verbi prædicatione permotus Gozbertus Francorum Dux cum multis aliis ſacrum Baptiſma ſuſcepit: unde tota illa regio, relicto Dœmonum cultu ad fidem Chriſtianam converſa eſt, & Kilianus nomen Apoſtoli Francorum & pro Chriſti nomine martyrium ſubire promeruit. Ejuſdem reliquiæ in nobiliſſima Wirceburgenſi Baſilica eximiè coluntur. *Te Deum laudamus.*

Die IX. Julii.

In Die Octava

Viſitat. B. M. V. *Duplex.*

Lectiones ſecundi Nocturni.

Ex die Octava Concept. B. M. V.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda: Et intra-

travit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth, Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

MIrabatur Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat & vocem salutantis, adjiciens: ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beatificabat fidem credentis: Beata, inquiens, quæ credidisti. Magna quidem præconia, sed & devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. ℟. *Beatam.*

Lectio VIII.

TU, inquit, magnificas Matrem Domini: sed Magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultâsse in gaudio; sed exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoq; tanquam amicus Sponsi gaudet ad vocem Sponsi. Beatam esse dicis, quæ credidi; sed credulitatis, & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes: quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. ℟. *Felix.*

Lectio IX.

VErumtamen nunquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per Spiritum utique loque-

loquebatur errâsse? Absit. Beata plane, quam respexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus divinæ respectionis extitit fructus: ineffabili siquidem artificio Spiritus superveniens tantæ humilitati magnanimitas tanta, in secretario virginei cordis accessit, ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cùm in sua æstimatione tàm humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis: ut quæ nihil aliud, quàm exiguam sese reputaret ancillam, ad inscrutabile Sacramentum nullatenus se dubitaret electam, & veram Dei, & hominis genitricem crederet mox futuram. *Te Deum.*

Die XII. Julii.

IN FESTO

S. JOANNIS GUALberti Abbatis. *Duplex.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

JOannes Gualbertus Florentiæ nobili genere ortus, dum Patri obsequens rem militarem sequitur. Ugo unicus ejus frater occiditur à consangvineo: quem cùm solum, & inermem Sancto Parasceves die Joannes armis, ac militibus stipatus

tus obvium haberet, ubi neuter alterum poterat declinare; ob sanctæ crucis reversam, quam homicida supplex, mortem jam subiturus brachiis signabat; vitam ei clementer indulget. Hoste in fratrem recepto, proximum S. Miniatis templum oraturus ingreditur, ubi adoratam Christi imaginem caput sibi flectere conspicit. Quo mirabili facto permotus Joannes, Deo exinde, etiam invito Patre, militare decernit, atq; ibidem propriis sibi manibus comam totondit, ac Monasticum habitum induit, adeoq; piis, ac religiosis virtutibus brevi coruscat, ut multis se perfectionis specimen, ac normam perhiberet, ita ut ejusdem loci Abbate defuncto, communi omnium voto in superiorem eligeretur. At Dei famulus cupiens subesse potius, quam præesse, ad majora Divina voluntate servatus, ad Camalduensis Eremi incolam Romualdum proficiscitur: à quo cœlicum sui instituti vaticinium accipit, tum suum Ordinem sub Regula S. Benedicti apud umbrosam vallem instituit. ℟. *Honestum fecit illum.*

Lectio V.

DEinde plurimis ad eum ob ejus Sanctitatis famam undiq; convolantibus, unâ cum iis in socios adscitis, ad hæreticam, & Simoniacam pravitatem extirpandam, & Apostolicam fidem propagandá sedulò incumbit, innumera propterea in se, & suis, incommoda expertus. Nam ut eum, ejusq; socios adversarii perdant, noctu S. Salvii Cœnobium repente aggrediuntur, templum incendunt, ædes demoliuntur, & Monachos omnes

lethali

lethali vulnere ſauciant, quos vir Dei unico Crucis ſigno incolumes protinus reddit, & Petro ejus Monacho per im̃enſum, ardentiſſimúmq; ignem illæſo mirabiliter tranſeunte, optatam ſibi, & ſuis tranquillitatem obtinet: inde Simoniacam labem ab Hetruria expulit, ac in tota Italia fidem priſtinæ integritati reſtituit. ℟. *Amavit eum.*

Lectio VI.

MUlta funditùs erexit monaſteria, eademq; & alia ædificiis, ac regulari obſervantiâ inſtaurata, ſanctis legibus communivit. Ad egenos alendos ſacram ſuppellectilem vendidit. Ad improbos coërcendos elementa ſibi famulari conſpexit. Ad dœmones comprimendos Crucem quaſi enſem adhibuit. Demùm abſtinentiis, vigiliis, jejuniis, orationibus, carnis macerationibus, ac ſenio confectus, dum infirma valetudine gravaretur, Davidica illa verba perſæpè repetebat: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Jamq; morti proximus convocatos diſcipulos ad fraternam concordiam cohortatur, & in Breviculo, cui conſepeliri voluit, juſſit hæc ſcribi: Ego Joannes credo, & confiteor fidem quam Sancti Apoſtoli prædicaverunt, & SS. Patres in quatuor Conciliis confirmaverurt. Tandem triduano Angelorum obſequio dignatus, ſeptuageſimum octavum annum agens apud Paſſinianum, ubi ſumma veneratione colitur, migravit ad Dominum anno ſalutis milleſimo, ſeptuageſimo tertio, quarto Idus Julii. Quem Cœleſtinus tertius innumeris miraculis

raculis clarum, in Sanctorum numerum retulit. ℞. *Iste homo perfecit.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum. c. 5.

Lectio VII.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presb.

EGo auem dico vobis, diligite inimicos vestros: benefacite iis, qui oderunt vos. Multi præcepta Dei, imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos: cæterùm diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, Quæ fecit David in Saul, & Absolon: Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis, hæc autem JESUS, & docuit, & fecit, dicens: Pater ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt. ℞. *Iste est.*

Lectio VIII.

IN reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcunq; excusationem prætendere, ad habendam veram dilectionem nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: non possum jejunare numquid potest dicere, non possum amare. Potest aliquis dicere, virginitatem non possum

possum servare, non possum res totas vendere, & pauperibus erogare, numquid potest dicere: non possum diligere inimicos? ℟. *Sint lumbi vestri.*

Lectio IX.

NOn enim ibi aut pedes laborant currendo, aures audiendo, ac manus operando laxantur, ut nos per ipsam excusationem liberare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad orientem, & quærite charitatem, navigate ad occidentem, & invenietis dilectionem. Intus in nostro corde est, ubi redire jubemur, dicente Propheta: Redite prævaricatores ad cor. Non enim in longinquis regionibus invenitur, quod à nobis petitur. *Te Deum laudamus.*

Die XIII. Julii.
IN FESTO S. MARGARITÆ Virginis & Mart. *Duplex.*

Omnia de com. Virg.

ORATIO.

DEus, qui beatam Margaritam Virginem, per Martyrii palmam hodiernâ die ad cœlos venire fecisti, concede nobis quæsumus, ut ejus exempla sequentes, ad te pervenire mereamur. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni.

Confitebor tibi Domine Rex &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Ex his quæ sunt apud Laurent. Surium.

BEata Margarita ex Antiochia Pisidiæ oriunda Filia fuit Ædesii, qui fuit illis temporibus vel maximè insignis Sacerdos idolorum. Cujus eximiâ pulchritudine cùm captus esset Olibrius Præses Orientis, ita ut eam uxorem ducere haberet in animo, deprehenso quòd Christiana esset, & nullo modo ejus in Christum fidei rationem posset flectere, aut emollire blanditiis, variis deinde tormentis eam est aggressus. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

ITaq; Virgo sancta humi extensa, primò virgis immisericorditer cæsa est: deinde, cùm irâ ebulliisset Olibrius, ferreis etiam laminis conclusa, & clavis affixa, ferreis laniata est fuscinis, ac sic in carcerem ducta. Ubi, ipsâ orante, repenteque magno terræ motu excitato, Diabolum susceptâ formâ terribilis draconis eam circumcursantis signo crucis superavit, ac simul de cœlo à plagis omninò fuit curata. ℟. *Dilexisti.*

Lectio VI.

SEquenti die impius Præses ad se vocatæ, & in sententia persistenti jubet, ut nudatæ lampadibus pectus uratur, & latera: ac deinde de ligno deposita in magnum lebetem aqua plenum vincta conjiciatur, ac sic suffocetur. Unde cùm nihilominùs salva evasisset, cum ea, quæ explicari non potest, exultatione laudans Trinitatem, tandem ab im-

ab impio Olibrio pronuntiatâ in eam capitis sententiâ, pulchrè decertationis suæ cursum peregit.
℞. *Adducentur Regi.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Simile est Regnum cœlorum thesauro &c. *De com. nec Virg. nec Mart.*
Ad Missam Introitus. Me expectaverunt peccatores, &c.

Die XV. Julii.

DIVISIO APOSTOLORUM. *Duplex.*

Omnia de com. Apostolorũ præter ea, quæ hîc assignantur.
Ad Magnif. Antiph. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, Alleluja. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, Alleluja: Qui autem non crediderit, condemnabitur, Alleluja.

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam distributam per orbem terrarum Sanctorum Apostolorum prædicatione fundâsti, concede propitius, ut quorum hodierna die sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum &c.

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.
1. *de Pentec, Tom. 3.*

Lectio IV.

QUæ ſunt tales ſtellæ, ſicut Apoſtoli? Stellæ in cœlo: Apoſtoli ſuper cœlos. Quæ ſurſum ſunt, inquit Apoſtolus, ſapite, ubi Chriſtus eſt in dextera Patris ſedens. Stellæ de igne inſenſibili. Apoſtoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obſcurantur: Apoſtoli in die, & in nocte ſuis radiis, hoc eſt virtutibus, effulgent. Stellæ orto Sole obſcurantur: Apoſtoli Sole Juſtitiæ reſplendente, ſuâ claritate luceſcunt. Stellæ in reſurrectione cadent ſicut folia: Apoſtoli in reſurrectione rapientur in aëra nubibus. Et in illis quidem ſideribus alius antifer, alius lucifer appellatur: in Apoſtolis autem, nullus antifer eſt, omnes luciferi: & ideo Stellis majores Apoſtoli. Et quicumq; eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit: non ſolùm dum eſſent in corpore, ſed etiam magìs nunc, quando de hac vita migrarunt. ℟. *Vidi conjunctos.*

Lectio V.

PEragrârunt piſcatores orbem terrarum; & infirmum eum invenientes, ad ſanitatem reduxerunt: & in ruina poſitum ad ſtabilitatem revocârunt; non ſcuta moventes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentiæ confidentes. Et erant nudi quidem ſæculo, ſed induti Chriſtum: pauperes, ſed divites; pecunia indigentes, ſed regnum cœlorum poſſidentes. Non habentes humana ſolatia, habentes autem Dominum ſuum. Ego enim, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad con-

ad consummationem sæculi. Peragrârunt universum orbem terrarum oves simul cum lupis. Quis vidit? Quis audivit? Dicit, mittam vos ut oves in medio luporum. Quis unquam pastor oves mittit in medio luporum? Sed magìs, si viderit lupos, congreget oves. At verò Christus è contrario fecit; oves ad lupos direxit, & vulneratæ à bestiis non sunt, sed magìs lupi ad ovium mansvetudinem sunt conversi. ℞. *Beati eritis.*

Lectio VI.

UBi sunt nunc, qui audeant Ecclesiæ contraire? Quando novella erat, in nullo potuit lædi: & nunc quando usq; ad cœlum pervenit, existimas eam posse superari? Et tunc quidem, cùm undecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: Et nunc quando terra & mare, & orbis terrarum, & inhabitabiles regiones, & civitates, & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? Sed non poteris. Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Faciliùs cœlum exterminari potest, & terra perire, quàm aliquid mali pati Ecclesia. ℞. *Isti sunt triumphatores.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut langvores curarent. Et reliqua.

Homi-

Homilla Venerabilis Bedæ Presbyteri.

BEnignus & clemens Dominus ac Magifter non invidet fervis atq; difcipulis virtutes fuas. Et ficut ipfe curaverat omnem langvorem, & omnẽ infirmitatem; Apoftolis quoq; fuis tribuit poteftatem, ut curent omnem infirmitatem, omnemque langvorem. Sed multa diftantia eft inter habere & tribuere: donare, & accipere. Ifte quodcunque agit, poteftate Domini agit: Illi, fi quid faciunt, imbecillitatem fuam, & virtutem Domini cônfitentur, dicentes: In nomine JESU furge & ambula. ℟. *Ifti funt, qui viventes.*

Lectio VIII.

ET mifit illos prædicare regnum Dei & fanare infirmos. Fortaffe enim nemo crederet hominibus illiteratis, promittentibus regna cœlorum; ideo conceffit illis primùm poteftatem fignorum, & tunc mifit prædicare regnum Dei; ut promifforum magnitudinem, atteftaretur etiam magnitudo factorum; fidemq; daret verbis virtus oftenfa: & nova facerent, qui nova prædicarent. ℟. *Ite in Orbem univerfum, & prædicate dicentes: Qui crediderit & baptizatus fuerit, falvus erit.* ℣. *Euntes in Mundum univerfum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit &c. Gloria Patri &c. Qui crediderit &c.*

Lectio IX.

VErùm figna, quæ tunc per Apoftolos corporaliter fiebant, quotidiè in fancta Ecclefia per fanctos Prædicatores fpiritualiter fiunt. Cùm in fide

fide quis infirmus, eorum prædicatione roboratur ad fidem: cùm mortuus quis in peccatis, gratiâ & misericordiâ Dei compunctus, per eorum eruditionem resuscitatur ad pœnitentiam & confessionem peccatorum suorum, dignaq; emendatione vitam merebitur sempiternam. *Te Deum.*

Ad Bened. Antiph. Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem, super omnia dæmonia, & ut langvores curarent.

Ad Missam Introitus. Mihi autem nimis &c. *Dicitur* Credo.

In secundis Vesperis ad Magnif. Antiph. Egressi duodecim Apostoli, circuibant per castella, evangelizantes & prædicantes ubique.

Die XXVII. Julii.

IN FESTO S. CHRISTOPHORI Martyris. *Semidupl.*

ORATIO.

DEus, cujus virtute beatus Christophorus Martyr diversa superavit tormenta, fac quæsumus, ejus nos intervenientibus meritis universas insidias inimici superare. Per Dominum &c.

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermo de S. Cyprian. 113.

SPiritus sanctus doceat nos in hac hora, quæ oporteat

porteat dicere. Dicturi enim sumus aliquid de laude B. Christophori gloriosissimi Martyris, cujus natalem hodie, sicut nôstis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est natales, ut natales vocet pretiosas Martyrum mortes. Quid est hoc, fratres? Quando natus est, ignoramus: & quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etsi nôssemus: Illo enim die traxit originale peccatum: isto autem die vicit omne peccatum. ℟. *Honestum.*

Lectio V.

ISTum nobis festum diem passio beatissimi Christophori Martyris fecit: Cujus nos victoriæ celebritas in istum locum devotissimos congregavit. Sed celebratio solemnitatis Martyrum, imitatio debet esse virtutum. Facile est honorem Martyris celebrari: magnum est fidem, atq; patientiam Martyris imitari. Hoc sic agamus, ut illud optemus: hoc sic celebremus, ut illud potiùs diligamus. Quid laudemus in fide Martyris? Quia usq; ad mortem certavit pro veritate, & ideo vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit: ideo victor ad Deum accessit. Abundant in isto sæculo errores, & terrores. Beatissimus Martyr errores sapientiâ; terrores patientiâ superavit. ℟. *Desiderium animæ.*

Lectio VI.

COntemnite ergo sæculum, Christiani, contemnite sæculum, contemnite: contempserunt Marty-

Martyres, contempſerunt Apoſtoli, contempſit beatus Chriſtophorus, cujus hodie memoriam celebramus. Divites eſſe vultis, honorati eſſe vultis, ſani eſſe vultis: totum ille contempſit, ad cujus memoriam conveniſtis. Quid obſecro tantùm amatis, quod contempſit, quem ſic honoratis? Quem, ſi iſta non contempſiſſet, non utique ſic honoraretis. Quare te invenio earum rerum amatorem, quarum veneraris contemptorem? Certè illum, ſi hæc amaret, non venerareris. Et tu noli amare; non enim intravit, & oſtium contra te clauſit. Contemne & tu: & intra poſt illum. ℟. *Stolâ jucunditatis.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Homilia 36. in Matthæum.

NOn veni pacem in terram mittere. Quomodò igitur præcipit, cùm ad ſuſcipientium domos ingrederentur, pacem omnibus dicere? Aut quomodò Angeli clamabant: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis? Quomodò & omnes Prophetæ pacem tempore ipſius futuram prænunciârunt? Quia videlicet præcipua, ſingularisq; pax tunc præſtatur, quan-

 do quod

do quod tabe, vel ſanie corruptum eſt, abſcinditur, atque projicitur: Quando factioſa & improba pars repellitur, aut omninò deſtruitur; ſic certè cœlis terra conjungi poteſt. ℞. *Corona aurea.*

Lectio VIII.

NAm & medicus hoc modo reliquum corpus conſervat facilè, ſi, quod reduci ad ſanitatem non poteſt, inciderit, atq; abjecerit: & militiæ dux ad ſolvendam militum conſpirationem alterum in alterum concitat. Sic in turre factum videmus, quando pernicioſa illa pax per diſcrepantiam diſſoluta, tranquillam atq; laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos, qui adversùs ſe conſpirabant, dividebat atq; diſſipabat. Nec enim ſemper concordia laudanda, cùm etiam latrones magnâ inter ſe concordiâ conſpirare ſciamus. Non igitur ex propoſito Chriſti, ſed ex mente, animoq; hominum vitioſo bellum erumpit. ℞. *Hic eſt verè Martyr.*

Lectio IX.

De S. Pantaleone Martyre.

Si Feſtum S. Chriſtophori transfertur, 9. *Lectio de SS. Abdon. & Sennen Mart.*

Ad Miſſam Introitus. In virtute tua. *Ut in Com. unius Mart, non Pontif.*

FESTA AUGUSTI.

Die VIII. Augusti.

IN FESTO S. AFRÆ Mart.

ORATIO.

FAmiliam tuam, quæſumus Domine, ſupplicantem propitius reſpice, ut quæ te inſpirante depoſcit, Martyris tuæ Afræ, ſociarumque ejus patrociniis aſſequatur. Per Dominum, &c.

Lectio IX.

AFra idolis ſerviens, ac in flagitiis demerſa, cùm Narciſſum Epiſcopum Auguſtam Vindelicorum profugientem hoſpitio recepiſſet, ac in precibus pernoctantem cum Diacono vidiſſet, mox impudicitiæ renuntiavit, & ab eodem baptizata eſt. Deinde Hileriam Matrem, ancillas, Dignam, Eunomiam & Eutropiam ad eandem fidem & morum correctionem adduxit. Tandem juſſu Caji Præfecti cùm in templum Veneris rapta diis ſacrificare nollet, unà cum Matre atque ancillis ad Inſulam fluminis, quod Lycum appellant, educta, & ad palum alligata lento igne crematur. Earum corpora Auguſtæ Vindel. honorificè ſepulta ſunt.

Die XVI. Augusti.

IN FESTO S. HYACINTHI Confessoris. *Duplex.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati &c. *Ut in Com. Confess. non Pont.*

In Hymno: Iste Confessor *dicitur.*

Hac die lætus meruit supremos laudis honores.

Lectiones primi Nocturni.

Leguntur de Scriptura juxta Rubricam Breviarii Rom.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

SAnctus Hyacinthus Silesius, ex antiqua Odrovanzorum gente, apud Opolium Oppidum in Cameno Diœcesis Wratislaviensis vico natus est. Primam ætatem, ac pueritiæ florem ita exegit, ut bonarum artium, morumq; honestissimorum studiis, nobilitatem generis plurimùm exornaret. Unde ab Ivone Cracoviensi Episcopo, patruo suo in Canonicorum Cracoviensiũ Collegium adscitus, propter ampliores in rebus Theologicis, sacrisq; Canonibus progressus faciendos, in Italiam missus est. ℟. *Iste est.*

Lectio V.

ROmam cum tribus comitibus veniens, divitiis, honoribus, aliisq; illecebris mundi abjectis, sancto Dominico se in disciplinam cum eis tradidit.

dit. Is enim ſanctus Pater tum in Urbe verſabatur, de Ordine ſuo à Sede Apoſtolica confirmando, ſollicitus. Tantâ Hyacinthi ſui virtute atque pietate delectatus Cracovienſis Epiſcopus, qui & ipſe tum negotiorum Eccleſiæ ſuæ cauſâ Romam venerat, à Dominico ſancto impetrat Hyacinthum: eumq; cum tribus ejuſdem Ordinis Sociis, Ceslao Polono, Henrico Moravo, & Hermanno Teutonico, antiquis ejuſdem comitibus, tanquam novos homines, novæque gratiæ Dei propagatores ſecum ad ſuos lætus reducit. ℟. *Amavit eum.*

Lectio VI.

NOn ſolùm ille Cracoviam & Poloniam, ſed vicinas etiam Regiones & Provincias prædicatione ſuâ, Cœnobiisq; Ordinis ſui replevit. In hac religioſa vita, & in ſanctorum operum labore aſſiduo, exactis annis uno & quadraginta, Anno tandem Domini MCCLXII. ipſo die Aſſumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, quam ille vivus unicè venerabatur, caſtiſſimum & incontaminatum Spiritum DEO reddidit: cujus ſanctitatem in vita & poſt mortem multis miraculis omnipotens Deus illuſtravit. Quibus motus Clemens VIII. Romanus Pontifex, eum in Sanctorum numerum retulit. ℟. *Iſte homo.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Sint lumbi veſtri præcincti. *De Com. Conf. non Pontif. In Laud. fit com. Octavarum.*

Die XXIII. Augusti.

IN FESTO S. PHILIPPI BENNITII Confess. Semiduplex.

De mandato Sanctissimi D. N. D. Clementis Divina dispositione Papæ X. in Breviario Romano apponendum.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

PHilippus ex nobili Bennitiorum familia Florentiæ natus, Parisiis medicinæ operam dedit, reversus in Patriam, cum frequens Ecclesiam Servorum visitaret, qua die verba ex Actibus Apostolorum: Philippe accede, & adjunge te ad currum istum, legebantur, actus in extasim, in aureo curru, quem ovis, & leo trahebant, Sanctissimam Dei Genitricem Angelis comitantibus insidentem vidit, à qua sequenti nocte Servos suos adire jussus Bonfilium unum ex septem Ordinis Fundatoribus Priorem adit, orátq; ab eo inter Conversos recipi. Receptus vitam aliquandiu in Monte Serrario in spelunca solitariam duxit. Factus Sacerdos & postea Prior Generalis licèt invitus, hujusmodi munus decem & octo annos ita ministravit, ut in Italia & alibi multis extructis Monasteriis Ordinem maximè propagârit, visitando & prædicando Emdam usque, Frisiæ Orientalis Urbem pervenit, multis ab hæresi, & aliis vitiis per diversa loca conversis. Dissidentium paci, & erranti-

rantium studuit emendationi, Pistorii; & Florentiæ Seditionibus inter Guelphos, & Gibellinos sedatis, Forolinensibus, quod à Martino VI. Pont. Max. defecissent, inter concionandum, reprehensus, ab illis verberibus affectus est, ex quibus Peregrinus, unus ex percussoribus, eandem Religionem ingressus, mira sanctitate claruit. ℟. *Honestum fecit.*

Lectio V.

PLura vivens edidit miracula, ad curiam pergens leprosum nudum ad Camilianum agri Senensis, vicum propriâ veste indutum statim à lepra mundavit, quo miraculo pervulgato, dum Viterbii Clemente IV. è vivis sublato Cardinales de Successore deligendo dissiderent, nonnullis Philippum ad Pontificatum proponentibus ipse fugiens apud montẽ Tuniatum delituit; ubi balneis (quæ adhuc S. Philippi nominantur) morbos sanandi virtutem impetravit. Arretii Fratribus fame pœnè confectis, dum ille ad imaginem sanctissimæ DEI Genitricis orat, ecce duo cophini candidissimorum panum pleni ad monasterii Januam divinitus delati. Cùm in Germaniam prædicandi Evangelii causâ, à Rudolpho Imperatore invitatus proficisceretur, apud Lavinum agri Bononiensis amnem sub arboris umbra ob æstum diversatus, nonnullis Deum blasphemantibus, divinam prædixit ultionem, quæ illos statim, ac ab eis recessit, de cœlo tactos, ignéq; consumptos secuta est. Ex Germania rediens, nemúsq; inextricabile ingressus, cùm socii inedia triduo affl-

afflicti ulterius progredi non possent, ipse ad orationem confugiens, panem, & aquam, quibus recrearentur, invenit. ℟. *Amavit eum.*

Lectio VI.

TUdertum veniens, meretricibus sibi in via ausis illudere sic persuasit, ut in Monasterio apud Carsulam reclusæ, perpetuam pœnitentiam egerint: In Urbis ingressu totam Civitatem sibi, tanquam Patri obviam habuit. Ecclesiam ingressus, cùm quasi divinans illa verba: Hæc requies mea pronunciásset, Paulô post in Festo Assumptionis beatæ MARIÆ Virginis in morbum incidit, ex quo octavo die Fratres ad observantiam hortatus, sacrisque munitus XI. Cal. Septemb. Anno Salutis 1275. animam DEO reddidit, multis miraculis subsecutis: nam mulier manibus, pedibúsq; contracta, ut sacrum attigit corpus, domum incolumis remeavit. Cœcus ad ejus tumulum deductus visum illicò recepit. Puer à lupo strangulatus ad vitam revocatur. Mulier, quæ & miracula negare, & servum DEI irridere præsumpserat, muta effecta, dum resipiscens veniam precatur, loquendi recuperat facultatem. Unicus viduæ filius ex diutino morbo defunctus, dum illa Philippi opem implorat redivivus surgit, illum sibi succurrisse testatus, stupentibus, qui ut Matrem solarentur advenerant. Quare Leo X. Pontifex Maximus cognitâ Viri sanctitate, cùm illum gravissimis curis impeditus, in Sanctorum numerum referre non potuisset, ut in toto Ordine, ritu duplici coleretur, indulsit. Paulus V. Lectiones ex Ejus vitâ probavit

vit Tudertensiibúsq; ejus ita colendi potestatē fecit: quod & Urbanus VIII. Florentinæ ditionis Episcopis in statu veteri concessit. ℟. *Iste homo.*

In III. Nocturno.

Legitur Homil. venerab. Bedæ Presbyt. in Evang. Nolite timere pusillus grex. *ut in Communi.*

Die XXV. Augusti.

Translat. S. HEDWIGIS

Vid. *Duplex.*

ORATIO.

DA nobis quæsumus, omnipotens Deus, in te semper gloriari, & concede propitius, ut qui beatæ Hedvigis translationis diem annuâ devotione veneramur, ipsius adjuti suffragio tuam gratiam consequamur. Per Dominum &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

HEdvigis Bertholdi Marchionis Moraviæ, Comitis Tirolensis & Agnetis filia, Sanctæ Elisabethæ matertera, duodecimo anno Henrico Longobardo Principi Poloniæ & Boëmiæ in matrimonium data; illud semper honorabile & immaculatum custodivit, nullum jejunium aut diem festum judicans, quem castitatis merito non condivisset. Nihilominùs in summa castitate & continentia, facta est sicut vitis abundans in lateribus domus suæ, & filii ejus sicut novellæ in circu-

itu mensæ. Filios enim tres, totidemq; filias viro suo protulit. Ex quibus Henricus fortia pro religione Christiana aggressus, & tanquam alter Judas Machabæus, castra DEI contra Tartaros protegens, martyrii palmam promeruit. Filia Gertrudis Virgo perpetua permansit. Fructu matrimonii Hedvigis quæsito, redditisq; novalium fructibus, feriari ab opere connubiali incipit: eadem marito persvadet. Fit spiritualis desponsatio in manu Pontificis, vivitur inter Sponsos Angelica vita per annos viginti octo, non coram hominibus tantùm, sed etiam coram Deo. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

PArat deinde Hedvigis sedem futuræ castitati; amplissimum Trebnicense monasterium exstruit: filiam Gertrudem priùs illuc præmittit, magnos greges Virginum sanctarum collegit: ipsa demum consequitur. In oratione diurna atque nocturna, nudis, etiam media hieme, pedibus assidua: in jejuniis multis per totos quadraginta annos perseveravit: ita, ut die Dominico, tertia & quinta feria piscibus & lactariis tantùm, Sabbato & feria secunda aridis leguminibus, quarto & sexto die, aqua & pane solo dumtaxat vesceretur. Pedes pauperum, quos tredecim semper ubiq; secum circumduxit, lavit: ulcera eorum ligavit, captivos redemit, subditos oppressos tutata est. Irata à nemine unquam visa est, contenta ea objurgatione: Deus tibi parcat. ℟. *Dilexisti justitiam.*

Lectio VI.

NOn caruit diva Hedvigis miraculorum ac prophetiæ Spiritu & gratia: nam & duabus sanctimonialibus visum restituit: & duos recentes suspensos, magna omnium admiratione, ad vitam revocavit. Mortis item mariti sui tempus & rationem longè antè prædixit: & filii eodem modo: cujus cædem eo ipso, quo cæsus est die, in remotissimis partibus cognovit: & ipsa diem sui obitus multò prius præsensit & prædixit. Itaq; priusquam morbo gravi correpta fuisset, sacram unctionem accepit: Sanctimoniales se ægram sine permissione Superiorum invisentes pepulit; nihil sanctum esse docens, quod cum obedientia majorum susceptum non esset. Priusquam moreretur magna hilaritate Sanctos cum splendida luce ad se venientes salutavit. Mortua est die sancti Matthæi horâ vespertinâ, quâ jejunia sua pane solo reficere solebat, anno salutis humanæ millesimo ducentesimo quadragesimo tertio. Ac pòst multis editis miraculis, in numerum Sanctorum à Clemente Quarto relata est. In cujus Canonizatione mulier cæca visui restituta est. ℟. *Fallax gratia.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile est regnum cœlorum thesauro. *Ut in Com. nec Virg. nec Mart.*

Die

Die XXX. Augusti.

IN FESTO S. ROSÆ LIMANÆ

Virg. Duplex.

Omnia de Comm. Virg. præter Orationem & Lectiones II. Nocturni.

ORATIO.

BOnorum omnium largitor Omnipotens Deus, qui Beatam Rosam cœlestis gratiæ rore præventam Virginitatis & patientiæ decore Indis florescere voluisti: Da nobis famulis tuis ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Per eundem Dominum.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

PRimus Americæ Meridionalis flos Sanctitatis Virgo Rosa Christianis parentibus Limæ progenita, mox ab incunabilis claruit futuræ Sanctitatis indiciis, nam vultus infantis mirabiliter in rosæ effigiem transfiguratus huic nomini occasionem dedit, cui postea Virgo Deipara cognomen adjecit jubens vocari deinceps Rosam à sancta Maria. Quinquennis votum perpetuæ Virginitatis emisit. Adultior, nè à parentibus ad nuptias cogeretur clàm sibimet venustissimam capitis cæsariem præscidit. Jejuniis supra humanum modum addicta integras Quadragesimas transegit pane abstinens, ac dietim solis quinque granulis mali citrini victitans.

Lectio

Lectio V.

HAbitu tertii Ordinis ſancti Dominici aſſumpto priſtinas vitæ auſteritates duplicavit, oblongo aſperrimóq; cilicio ſparſim minuſculas acus innexuit; ſub velo coronam denſis aculeis introrſus obarmatam inter diu noctúq; geſtavit ſanctæ Catharinæ Senenſis ardua premens veſtigia, catena ferrea triplici nexu circumducta lumbos cinxit, lectulum ſibi è truncis nodoſis compoſuit, horúmq; vacuas commiſſuras fragminibus teſtarum implevit: cellulam ſibi anguſtiſſimam ſtruxit in extremo horti angulo, ubi cœleſtium contemplatione dedita, crebris diſciplinis, inediâ, vigiliis corpuſculum extenuans, ac Spiritu vegetata, larvas Dœmonum frequenti certamine victrix impavidè protrivit ac ſuperavit.

Lectio VI.

ÆGritudinem tormentis, domeſticorum inſultibus, lingvarum morſibus dirè agitata, nondum ſatis pro merito ſe affligi querebatur, per quindecim annos ad pluſculas horas deſolatione Spiritûs & arriditate miſerrimè contabeſcens, forti animo tulit: agones omni morte amariores. Ex inde cœpit ſupernis abundare deliciis, illuſtrari viſionibus, colliqueſcere Seraphicis ardoribus, Angelo tutelari, ſanctæ Catharinæ Senenſis, Virgini Deiparæ inter aſſiduas apparitiones mirè familiaris, à Chriſto has voces audire meruit: Roſa cordis mei, tu mihi ſponſa eſto. Deniq; ſponſi hujus Paradiſo feliciter invectam, plurimiſq; ante & poſt

& post obitum miraculis coruscam Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctarum Virginum Catalogo ritu solemni adscripsit.

In III. Nocturno.

Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus.

Ad Missam Introitus. Dilexisti Justitiam. *De com. Virg.*

FESTA SEPTEMBRIS.

Dominicâ primâ Septembris.

IN FESTO

S. ANGELI CUSTODIS.

Duplex secundæ Classis.

Omnia prout in Breviario cum Nona Lectione de Homilia Dominicæ, cujus fit commemoratio in Laudibus & secundis Vesperis.

FERIA SECUNDA.

Infra Octavam S. Angeli Custodis.

Officium de Octava dicitur, ut in die Festo.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente: Nimirùm ex Dominica prima Septembris; quia heri non sunt lectæ.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Sermo S. August. lib. 11. Civit. cap. 31.

SAncti Angeli, ad quorum societatem, & congrega-

gregationem in hac peregrinatione laborioſiſſima ſuſpiramus, ſicut habent permanendi æternitatem, ita cognoſcendi facilitatem, & requieſcendi felicitatem; ſine difficultate quippe nos adjuvant, quoniam ſpiritualibus motibus puris & liberis non laborant. ℟. *Vivit ipſe Dominus.*

Idem ibidem c. 33.

Lectio V.

NOs duas ſocietates Angelicas intelligimus, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho. Unam, cui dicitur: Adorate eum omnes Angeli ejus: aliam, cujus Princeps dicit: Hæc omnia dabo tibi, ſi proſtratus adoraveris me. Unam ſancto Dei amore flagrantem: alteram propriæ celſitudinis im̃undo amore fumantem. Et quoniam, ſicut ſcriptum eſt, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; illam in cœlis habitantem, iſtam inde dejectam, in hoc infimo aëreo cœlo tumultuantem. ℟. *Angelus Domini.*

Idem Ibidem.

Lectio VI.

ILlam luminoſâ pietate tranquillam; iſtam tenebroſis cupiditatibus turbulentam. Illam Dei nutu clementer ſubvenientem, juſtè ulciſcentem; iſtam ſuo faſtu ſubdendi, & nocendi libidine æſtuantem. Illam, ut quantum vult, conſulat, Dei bonitatis miniſtram; iſtam, ne quantum vult noceat, Dei poteſtate frœnatam. Illam huic illudentem, ut nolens proſit perſecutionibus ſuis; hanc illi invidentem, cùm peregrinos colligit ſuos. ℟. *In omni tribulatione.*

In III.

In III. Nocturno.

Lectiones ex 3. Noct. Festi S. Michaëlis Archangeli, ut in Breviario Rom. 29. Septemb.

FERIA TERTIA.

Infra Octavam.

Lectio IV.

S. Bernard. in festivit. S. Michaëlis.

HIc est funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera, ipsi quoque imitantur. Propter nos, in quibus propriá similitudinem miserantur. Propter seipsos quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum, qui lacte modò vescuntur, & nondum solido cibo, perficienda est laus illa majestatis divinæ, cujus habentes primitias Angelici spiritus, beatâ delectatione fruuntur: sed tantò avidiùs nos expectant, quantò consummationis ejus expectatione, & expetitione sollicitantur. ℟. *Vivit ipse Dominus.*

Lectio V.

QUæ cum ita sint, pensate etiam quantà nobis sollicitudine opus est, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, & eo modo conversemur in conspectu Angelorum, nè fortè sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis si quando provo-

cati

cati peccatis, & negligentiis noſtris, indignos nos judicaverint præſentiâ, & viſitatione ſuâ, ut jam neceſſe habeamus, & nos plangere, & dicere cum Propheta. Amici mei, & proximi mei, adversùm me appropinquaverunt, & ſteterunt, & qui juxta me erant, de longè ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Elongatis nimirum eis, quorum præſentia protegere nos, & propulſare poterat inimicum. ℞. *Angelus Domini.*

Lectio VI.

QUòd ſi tam neceſſariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eſt eorum offenſa, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat, ut eſt, ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen ſuper omnia hæc unitatem, & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Econtra verò nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo diſſenſiones & ſcandala. ℞. *In omni tribulatione.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. c. 18.

Lectio VII.

IN illo tempore: Acceſſerunt Diſcipuli ad JEſum, dicentes: Quis putas major eſt in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi, ex variis in Matthæum locis, homilia 18.

VÆ mundo à scandalis. Mundum istum, terrenum locum dicit: neque verò de cœlo, & terra intelligere debemus mundum, sed mundum hic intelligamus terrenum; ideò quod dixit Dominus: Regnum meum non est de isto mundo: si essem de mundo, amaret me mundus. Et dicitur ad Apostolos: Vos non estis de mundo.

Lectio VIII.

VÆ igitur mundo, hoc est, terreno loco, ab scandalis: necesse enim est, ut veniant scandala: non quia necesse; sed qnia mundo necesse, ut veniant. Videte, quod dicimus, subtile est: si necesse est, ut veniánt scandala; ergo absq; culpa est ille, per quem venit scandalum.

Lectio IX.

SEd nos dicimus, scandalum non venit, nisi in tetreno mundo. Vis tibi non venire scandalum? noli esse terrenus. Propterea dico, mundus terrenus scandalum habet, terra ista necesse est, ut habeat scandalum: noli portare terrenum, sed cœlestem, & scandalum non habebis. Veruntamen væ homini illi, per quem scandalũ venit.

FERIA QUARTA

Infra Octavam.

Lectio IV.

S. Hilarius in Psalm. 137.

IN conspectu Angelorum psallam tibi. Parùm sibi

ſibi exiſtimat Propheta eſſe, ut hominibus tantùm præſentibus pſallat, quia homines corporalium tantùm negotiorum officia inſpiciunt; in eo enim quod pſallit, motum complacitæ operationis Deo oſtendit. Non ergo quæ videntur in corpore, cerni deſiderat; ſed ea, quæ ſpiritualiter naturæ ſpirituales contuentur, gerere feſtinat. Scit enim ſub ſpecula Angelorum vitam omnem, moreſq; agere, & ubiq; hæc divinorum miniſteriorum auxilia, fidelibus cunctis aſſiſtere, ut ſcriptum eſt: Præeſt Angelus Domini in circuitu timentium eum.

Lectio V.

LEgem etiam Moyſi in manu mediatoris per Angelos fuiſſe depoſitam, docet Apoſtolus; nec non & Heliſæus abſolutiſſimè docuit, humanas infirmitates, Angelorum auxiliis defendi, & in omnibus periculis, ſi fides maneat, in nobis adeſſe ſpiritualium virtutum defenſionem. Nam cùm Rex Syriæ capere Geth Urbem, in qua idem Propheta Heliſæus eſſet, pararet, & nocturnis itineribus exercitium ſuum, qui antelucanus Urbem obſideret, deſtinaſſet, puer Heliſæi conſpectâ obſidione dixit: O Domine, quid faciemus? Et dixit: Noli timere, quia plures ſunt nobiſcum, quàm cum illis.

Lectio VI.

ET oravit Heliſæus ad Dominum, & dixit: Adaperi, Domine, oculos pueri hujus, ut videat: & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit. Et ec-

ce mons erat plenus equis, & curribus in gyro Helisæi, & descenderunt ad eos. Tantus, & tam nobilis Propheta solus contemplatione auxiliorum spiritualium dignus est. Sed oratio ejus ad Deum, visum incorporalium etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu psallat Propheta, simplicibus spiritualium operum contemplatione placiturus.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum c. 18.
Lectio VII.

IN illo tempore: Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est &c. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis,
Tom. 1. in festiv. S. Michaëlis Serm. 11.

AUdistis fratres Evangelicam lectionem adversus eos, qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, apertè denuncians, quoniam væ homini illi, per quem scandalum venit, expedit ei, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, & pro svavi jugo, & levi onere Salvatoris, gravi mole terrenæ cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus magni, & spaciosi manibus, quod est sine dubio sæculum nequam. Perire siquidem necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum ita, ut ardeat: & hoc dixerim, fratres, ut in ea charitate, & unanimitate, &

pace,

pace, in qua statis in Domino, solliciti sitis perseverare & abundare magis.

Lectio VIII.

QUæ est enim spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? nonne unitas, & unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, & ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? In hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quòd Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Denique potest hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnificè commendari: numquid enim Christi gratiâ diligemur ab Angelis, si de mutuæ dilectionis inopia cognoverint nequaquam ejus nos esse discipulos? Numquid diligemur ab eis propter nos ipsos, id est, spiritualis naturæ similitudinem, si invenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes? imò verò, si ex eis, quæ inter nos sunt, contentionibus, carnales nos magis, quàm spirituales esse constiterit.

Lectio IX.

DEnique numquid Angeli diligent nos propter seipsos, & futuram de nobis civitatis suæ restaurationem, si (quod absit,) unum, quo solo uniri, coædificari eis possumus, defuerit glutinum charitatis? Quomodo sperabunt reædificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint, nos non lapides esse vivos, qui possint invicem cohærere: sed magis pulverem, quem

quem projicit ventus à facie terræ, quem unius verbi flatus in turbinem excitet, & suspicionis cujuslibet levissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficiat pro eo, quod ait Dominus: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis.

FERIA QUINTA
Infra Octavam.

Lectio IV.

Sermo S. Augustini Episc. l. 9. civit. cap. 11.

ANgelis bonis omnis corporalium, temporaliumq; rerum scientia vilis est, non quòd earum ignari sint, sed quòd illis Dei, quâ significantur, charitas chara est. Præ cujus non tantùm incorporali, verùm etiam incommutabili, & ineffabili pulchritudine, cujus sancto amore inardescunt omnia, quæ infrà sunt, & quod illud EST non sunt, seq; ipsos inter illa contemnunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur.

Lectio V. Ibidem lib. 10. cap. 7.

ANgeli in cœlestibus sedibus constituti immortales, & beati, qui Creatoris sui participatione gaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere sancti sunt; quoniam nos mortales, & miseros, ut immortales, beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cujus & ipsi nobiscum sacrificium esse noverunt.

Lectio VI. Ibidem.

CUm ipsis sumus una civitas Dei, cui dicitur in Psal-

Psalmo: Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe ſuperna civitate, ubi Dei voluntas intelligibilis, atque incommutabilis lex eſt, de illa ſuperna quodammodò curia (geritur namq; ibi cura de nobis) ad nos miniſtrata per Angelos ſancta Scriptura deſcendit.

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum c. 18.

Lectio VII.

IN illo tempore: Acceſſerunt Diſcipuli ad JEſum dicentes: Quis putas major eſt in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

JAm verò quem non moveat, quod ſequitur in Evangelio? Si oculus tuus ſcandalizaverit te, erue eum. Numquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut unam ex manibus iſtis, ſimiliter & unum abſcindere pedem? Abſit à nobis hujuſmodi carnalis omninò, & nimis ridiculoſa cogitatio.

Lectio VIII.

POrrò triplex fieri ſcandalum iſtud quotidiano nobis noſſe licet experimento. Interdum enim eſt in nobis ſpiritualis intentionis oculus ſimplex, & qui gratiæ magis, quàm noſter dicendus ſit; ſed ſcandalizat nos oculus noſter, & qui verè à nobis eſt, dum voluntas noſtra aliam minùs caſtam importunè ingerit intentionem; ſed habemus ſuper hoc ſalubre conſilium Salvatoris: Erue eum

eum, inquit, & projice abs te. Hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias, si resistas. Simili modo de manu, ac pede est intelligendum.

Lectio IX.

Cùm autem bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ scandalizat nos; sed abscindi debet, & projici à nobis, ut non ei consentiamus. Sic etiam proficere in sancta conversatione, & ascendere per gradus scalæ, quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpiùs scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis, & negligentiæ nostræ, qui nimirùm descendere magis, ac remissiùs ire conatur; sed abscindi eum necesse est, ut pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento.

FERIA SEXTA
Infra Octavam.

Lectio IV.

S. Bernard. in festiv. S. Michaëlis.

Dignum est, ut gloriam Angelorum non capientes, tantò magis amplectamur misericordiam, quâ nimirùm constat, nihilominùs abundare domesticos Dei, cœli Cives, Principes Paradisi. Testatur enim Apostolus, qui raptus est ad tertium cœlum, beatæ illi curiæ meruit interesse, atq; ejus nosse secreta, quoniam omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos,

qui hæreditatem capiunt ſalutis. Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipſe quoque Creator, & Rex Angelorum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare pro multis.

Lectio V.

MIniſtrant Angeli, ſed de alieno offerentes Deo bona opera, non ſua, ſed noſtra, & nobis ejus gratiam referentes; unde & Scriptura dicit: Quoniam aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini, de manu Angelorum: ſollicitè præmiſit, data ei fuiſſe incenſa multa. Noſtros enim ſudores, non ſuos; noſtras, non ſuas lachrymas offerunt Deo; nobis quoque ejus munera referunt, non ſua. Non ſic miniſter ille ſublimior cunctis, ſed humilior univerſis, qui ſemetipſum obtulit ſacrificium laudis, qui Patri offerens animam ſuam, nobis miniſtrat uſque hodie carnem ſuam.

Lectio VI.

HUjus itaque tanti myſterii gratiâ, nihil mirum ſi dignantur nobis, imò & libenter Angeli ſancti miniſtrent. Ipſi enim amant nos, quia nos amavit Chriſtus. Dicitur certè vulgari proverbio: Qui me amat, & canem meum. Nos verò, ô beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis. Catelli, inquam, cupientes ſaturari de micis, quæ cadunt de menſis Dominorum noſtrorum, qui eſtis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliorem de cætero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiariùs

in omni necessitate vestra illorum invocetis auxilia, sed & dignè in eorum præsentia conversari, & magis, ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum. c. 18.

Lectio VII.

IN illo tempore: Accesserunt Discipuli ad JEsum, dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi, *ex Hom. 60. in Matthæum.*

VIdete, ne contemnatis unum de parvulis istis. Parvulos non ætate, sed multorum æstimatione appellavit; pauperes, inquam, ignotos, cæterosque hujusmodi, quos multi contemnunt, qui reverà parvuli non sunt, cùm Creatoris omnium amici sint: quos ipse multô magis venerabiliores facit, dicens: Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

Lectio VIII.

HInc manifestum est, quia omnes Sancti Angelos habeant. Apostolus etiam ait de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter Angelos; & Moyses: Statuit fines, inquit, Gentium secundùm numerum Angelorum Dei. Hìc verò non de Angelis excellentibus, atque supremis. Nihil enim aliud designatur, cùm faciem, di-

em, dicat, Patris mei aſpiciunt, quàm ſumma fiducia eorum, & honor precibus.

Lectio IX.

VIdes, quot, quibusq; rationibus ad modeſtiam, & ad curam tenuiorum fratrum, nos revocat? Infantem in medio ſtatuit, & dixit: Efficiamini ſicut parvuli, & quicunq; talem ſuſceperit parvulum, me ſuſcipiet; & quicunq; hunc ſcandalizaverit, extrema luet ſupplicia: & ſcandalizantes homines, etiamſi loco manuum, atque oculorum nobis eſſent, abſcindere juſſit. Angelorum quoque authoritate, qui hos tenues fratres tutantur, ut eos veneremur, impellit.

SABBATHO
Infra Octavam.

Lectio IV.

Sermo S. Ambroſii Serm. 1. de Eliſæo.

HOſtium tumultus bellicoſos minimè timere debemus, nec quamlibet numeroſam hoſtium multitudinem formidare. Quoniam, ſicut ait Apoſtolus, major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui in mundo, hoc eſt, potentior eſt ad protegendos famulos ſuos Chriſtus, quàm diabolus ad inſtigandos inimicos; quamvis enim idem diabolus colligat ſibi turbas, & crudeli eas armet inſaniâ, tamen facilè deſtruuntur, quia melioribus populum ſuum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quòd ſi Ange-

lus

lus Domini timentes eum de periculis eripit, non poteſt timere barbarũ, qui timuerit Salvatorem.

Idem in Epiſt. ad Hebr. c. 1.

Lectio V.

QUid miraris, ſi filio miniſterium exhibent Angeli, cùm etiam noſtræ ſalutis miniſtros eos conſtet effectos? Filius tamen ſicut Dominus ſalvat: iſti verò ſicut ſervi ſaluti prædeſtinatorum deſerviunt. Intelligite igitur, quantus honor nobis exiſtit, ad quos ſicut ad amicos, ita miniſtros Angelos ſuos deſtinat Deus.

Idem in Pſalm. 37.

Lectio VI.

QUi juxta me erant, de longè ſteterunt: ne myſticus quidem pietatis abhorreat affectus, ut pro Angelis dixerit, qui prætendunt timentibus Dominum, ut eripiant eos de tentationibus, quas ferre non poſſunt. Quomodo ergò longè ſtant, qui ad adjumentum ſunt attributi? ſed non illi ſe ſeparant, ſed qui urgetur tentationibus, putat eos longè abeſſe, quos propiùs ſibi adeſſe deſiderat & arbitratur diſſimulare, cùm illi adjuvandi tempus nutu ſui Imperatoris expectent, qui athletam ſuum, quò glorioſiùs vinceret, diutiùs certare præcepit.

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. c. 18.

Lectio VII.

IN illo tempore: Acceſſerunt Diſcipuli ad JEſum, dicentes: Quis putas major eſt in regno cœlorum? Et reliqua. Homi-

Homilia S. Joannis Chryſoſtomi, ex homil. 59.

CUriosè, inquit, ſcrutamini vos, quis veſtrûm major ſit, & de primatûs honore contenditis. Ego autem ſi quis humiliorem ſe cæteris non eſſecerit, ipſo ingreſſu cœleſti omninò indignum aſſero. Rectè autem ante oculos monſtratione parvuli totam rem poſuit, ipſo aſpectu eos convertens, ac perſvadens, ut abſq; ſimulatione aliqua humilitatem amplectantur.

Lectio VIII.

PArvuli autem non invidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatûs deſiderare dignitatem noverunt; ſed maximè hanc virtutem poſſident, puram dico ſimplicitatem, & humilitatem. Non ergò fortitudine tantùm, ac prudentiâ, ſed humilitatis quoque virtute, & ſimplicitate nobis opus eſt; quæ ſi non adeſt, ſalus noſtra certè claudicat.

Lectio IX.

PArvulum autem ætate, & quidem meâ ſententiâ, valde parvulum, qui ab omnibus eſſet paſſionibus liber, in medio ſtatuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni livoris inſaniâ, omni contentionis cupiditate, cæteriſq; hujuſmodi affectibus immunis eſt. Cùmq; præcipuis muniatur virtutibus, ſimplicitatis ſcilicet, ac humilitatis, de nulla iſtarum ſuperbit, ita duplici philoſophiâ ornatur.

Domi-

Dominica II. Septembris, Dies octavâ sancti Angeli Custodis.

Duplex.

Lectiones primi Nocturni de Dominica secunda.

Lectio IV.

Sermo S. Bernardi Abbat. ex Serm. 12. super Psal. Qui habitat.

ANgelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? studiosè consideremus, Fratres, diligenter commendemus memoriæ, hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus mandatis obtemperant? cujus obediunt voluntati? nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergò majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit; illis utique sublimibus tam beatis, tam proximè sibi cohærentibus, tam familiariter sibi adhærentibus, & verè domesticis Dei mandavit de te. Tu quis es? Quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis.

Lectio V.

SEd quid putas mandavit de te? numquid scripsit contra te amaritudines? numquid ut contra folium, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccam persequantur? numquid ut tollant impium, ne videat gloriam Dei? man-

mandandum iſtud eſt, non mandatum. Itaque Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te. Pretioſum depoſitum nobis commiſerat fructû crucis ſuæ, pretium ſangvinis ſui, non eſt contentus cuſtodiâ hâc tam parùm tutâ, tam parùm utili, tam fragili, tam inſufficienti ſuper muros tuos Jeruſalem conſtituit cuſtodes, nempe etiam ipſi, qui videntur muri, aut in muro ipſo columnæ, his cuſtodibus egent, & maximè.

Lectio VI.

QUantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adſunt Angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus viis ſuis: in quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tune audeas illo præſente, quod vidente me non auderes? Cæterùm etſi tam parvuli ſumus, & tam magna nobis, nec modò tam magna, ſed & tam periculoſa via reſtat, quid tamen ſub tantis cuſtodibus timeamus? nec ſuperari, nec ſeduci, minùs autem ſeducere poſſunt, qui cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris. Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus? tantùm ſequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli commoremur.

Lectio VII. & VIII. ut in die feſti.

Lectio Nona de homil. Dominicæ ſecundæ Septembris, cujus fit commemoratio in Laudibus & ſecundis Veſperis.

Sic dies

Si dies octava S. Angeli Custodis inciderit in Festum Nativitatis B. Mariæ Virginis, fit de B. Maria Virgine, cum commemoratione diei Octavæ S. Angeli Custodis.

Die I. Septembris.

IN FESTO

S. ÆGIDII Abbatis.

Semiduplex.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Ægidius Atheniensis &c, *Ut in Romano Breviario.*

Lectio V. & VI.

Ex Libr. Moralium S. Gregorii Papæ. Deridetur Justi simplicitas, *Ut in Com. Conf. non Pont.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VI.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergò erit nobis? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 7. in Cap. 3. ad Roman. circa finem.

SI centuplum hic non recipimus, nos ipsi in causa sumus, qui mutuum non damus illi, qui tantum reddere potest. Dic enim, quæso, quid magni dedit Petrus, nonnè rete scissum tantùm, & calamum & hamum? Verùm vicissim illi Deus uni-

universi Orbis domos aperuit, terramq; simul & mare patefecit, deditque, ut omnes illum in sua vocarent. Imò, quæ sua erant, venderent, & ad illius pedes afferrent, nè in manus quidem tradentes pecuniam, neq; enim id audebant: Tantum illi honorem unà cum munificentia tribuebant. ℟. *Iste est, qui ante &c.*

Lectio VIII.

DIces: At ille Petrus erat? quid tum, ô bone; Non ista Petro tantùm promissa sunt: neq; enim dixit; Tu verò, ô Petre, centuplum accipies solus: sed quisquis reliquerit domos, aut fratres, centuplum accipiet: personarum siquidem differentiam non cognoscit, sed rectè facta magìs pensat: gratiam enim habet Deus, & cùm nobis debet, & cùm solvit: aspicit autem creditores suos libentiùs; quàm eos, qui nihil mutuò dederunt: quibus verò plura debet, eos & plùs diligit, Quamobrèm si perpetuam cum illo amicitiam inire vis; vide, ut multum tibi debeat. ℟. *Sint lumbi vestri.*

Lectio IX.

NEq; enim perinde delectabitur suis debitoribus creditor, atq; Christus creditoribus: fugit enim, quibus nihil debet; quibus verò debet, ad hos potissimùm accurrit: omnem igitur lapidem moventes, curemus Christum debitorem habere. Hoc enim præsens tempus, fœnerandi tempus est. Nunc scilicet in indigentia Christus constitutus est. Si jam illi nihil das mutuò, tuorum

rum certè, cùm hinc discesseris, nihil opus habebit: hìc enim sitit; hìc esurit: cave igitur, illum nè despicias. *Te Deum laudamus.*

Die VI. Septembris.
IN FESTO
S. MAGNI Abbat.
ORATIO.

BEati Magni Abbatis, Domine quæsumus, supplicatione plebs tua benedictionem percipiat, ut de ejus precibus feliciter glorietur, & æternæ societatis lætitia gratuletur. Per Dominum.

Lectio II.

MAgnus, parentibus Scotis apud Hybernos natus, dum Columbano & Gallo adjutoribus Brigantii incolas à dœmonum cultu ad Orthodoxam fidem traducere laborat, gentilium invidiam commovet, Itaq; Columbanus in Italiam, Magnus & Gallus in eam eremi partem succesſêre, quæ est inter lacum Brigantinum, & alpes Rheticas. Porrò Magnus divertit Campodunum, olim populosum, tunc propter serpentum colluviem. & dœmonum infestationes tam hominibus, quàm feris impervium. Progressus terribilem draconem signo Crucis extinxit, & spectra fugavit. Eo miraculo vicinæ gentes in Christum crediderunt.

Lectio III.

EXædificato ad fauces Julias D. Augustini, Regularibus cœnobio, Fissendicto, sub religiosa disci-

disciplina cœcos visu, surdos auditu, claudos gressu, ægros atque dœmoniacos incolumitate donavit. Actâ in terris vitâ Angelicâ, ad Dominum, quem tantoperè desiderabat, emigravit 8. Idus Septembris. *Te Deum.*

Die X. Septembris.

IN FESTO S. CORBINIANI Ep. Conf.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos depositione Sancti Corbiniani Confessoris tui atque Pontificis annuâ recursione lætificas, concede, ut ejus suffragantibus meritis, ab imminentibus peccatorum periculis liberemur, & æternis gaudiis perfrui mereamur. Per Dominum.

Lectio IX.

COrbinianus in Gallia natus, in monasterio ad S. Germani Ecclesiam à se exstructo per annos 14. integerrimè vixit. Romæ à Gregorio Pontifice in Episcopum ordinatus, redit in Gallias. Verum sanctitatis famâ crescente, Romam iter clam aggreditur, Bojósque invisit. Inde per Alpes ad Breonum sylvam contendenti, Ursus equum Clitellarium dilaniat: quem in pœnam reliquo itinere vectorem sarcinæ adhibuit. Grimoaldi Theodonis filii precibus invitatus, primùm ad Majas, dein Frisingæ, sedem Episcopalem constituit. Miraculis clarus cessit è vita, Cujus sacris reliquiis Basilica Frisingensis honorificè applaudit.

Die XVIII. Septembris.
IN FESTO
S. LAMPERTI Episc. & Mart. *Semiduplex.*

ORATIO.

INtercessio, quæsumus Domine, Beati Lamperti Martyris tui atque Pontificis tuam nobis non desinat placare justitiam, & nostrum devotum tibi efficere famulatum. Per Dominum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente: nisi venerit in 4. temporibus: quia tunc dicuntur de Act. Apost. A Mileto &c.

In II. Nocturno.

GLoriosus Episcopus & Martyr Lampertus, natus Trajecti in Belgio, à pueritia ætatem suam Christo consecravit. Usus præceptoribus à vitæ sanctitate celebribus ità profecit, ut suo Sancto Martyri Theodardo in Episcopatum Trajectensem successerit, urgentibus, Rege Clodoveo, & electione Cleri, & omnis populi acclamatione. Clodoveus in Decreto eum vocabat Patrem suum, & virum Apostolicum; Childericus autem Rex, pectus ejus dicebat esse domicilium Spiritûs Sancti, & lingvam organum veritatis. Sed hoc Rege occiso, Ebroinus Sanctum Lampertum justitiæ defensorem, Episcopatu expulit. ℟. *Honestū.*

Lectio

Lectio V.

LAmpertus videns ſe oppreſſioni Eccleſiæ non poſſe reſiſtere, ſeptem annis angelicam vitam duxit in Monaſterio Stabuleto uſq; ad Ebroini interfectionem. Taxandriæ populum, qui Idololatriæ deditus, non in civitatibus, ſed ſparſis vicis continebatur uſq; ad Tungros, ipſe multâ patientiâ & prædicatione ad fidem convertit; unde & Taxandriæ Apoſtolus nominatus eſt. Dum autem Pipinum Principem, primi Pipini nepotem, à publico cum Alpaide adulterio revocare conatur, obſiſtente ſibi Pellice, cum Joanne Baptiſta meruit martyrii coronam. ℟. *Deſiderium.*

Lectio VI.

DOdo enim pellicis frater, ſorore poſtulante, collegit impiorũ Satellitium, & ſanctum Lampertum in villa Legia habitantem noctu circumdedit, & fores effringere nitebatur. Quod cùm Pontifex ex puero Gondonero audiviſſet, & arripuiſſet gladium quaſi pugnaturus, mox ſeipſum increpans dixit: meliùs eſt mihi in Chriſto mori, quoniam ſic pugnando victoriam non amitto, expanſis igitur brachiis ante altare Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani orantem impii ictu lanceæ vulnerârunt, & unâ cum Petro & Andoletio Martyrii Conſangvineis occiderunt, anno ſalutis ſexcenteſimo nonageſimo octavo; Epiſcopatûs autem quadrageſimo. Sepultus eſt apud Trajectenſes in Eccleſia ſancti Petri; unde poſt annos duodecim translatus eſt in villam Legiam martyrio,

rio, & miraculis S. Lamperti nobilem, & deinde in amplam Urbem Leodium, ac sedem Episcopalem commutatam. ℟. *Stolâ jucunditatis.*

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

SCimus autem; quia cùm de terra Philistiim Arca Domini ad terram Israëlitarum rediret, plaustro superimposita est, & vaccæ plaustro subjunctæ sunt, quæ fœtæ fuisse memorantur, quarum filios clauserunt domi. Et scriptum est: Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsamis, uno itinere gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Quid ergò vaccæ, nisi fideles quosq; in Ecclesia designant? Qui dum sacri eloquii præcepta considerant, quasi super impositam sibi Domini Arcam portant. ℟. *Corona aurea.*

Lectio VIII.

DE quibus hoc etiam est notandum, quòd fuisse fœta memorantur: quia sunt plerique, qui in via Dei intrinsecùs positi, foris carnalibus affectibus ligantur; sed non declinant à recto itinere, qui

qui Arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethſamis pergunt. Bethſamis quippe dicitur domus Solis, & Propheta ait: Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur Sol Juſtitiæ. Si ergo ad æterni Solis habitationem tendimus, dignum profectò eſt, ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Totâ enim virtute penſandum eſt, quòd vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ pergunt, & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non deflectunt greſſus. Sic nimirum prædicatores Dei, ſic fideles quiq; eſſe intra ſanctam Eccleſiam debent, ut compatiantur proximis per caritatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compaſſionem. ℟. *Hic eſt verè Martyr.*

Lectio IX.

HOc ipſum verò animæ odium qualiter exhiberi debeat; Veritas ſubdendo manifeſtat, dicens: Qui non bajulat crucem ſuam &c. Crux quippe à cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem Domini bajulamus, cùm aut per abſtinentiam carnem efficimus, aut per compaſſionem proximi neceſſitatem illius, noſtram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena neceſſitate, crucem portat in mente. Sciendum verò eſt, quòd ſunt nonnulli, qui carnis abſtinentiam non pro Deo, ſed pro inani gloria exhibent. Et ſunt plerique, qui compaſſionem proximo non ſpiritualiter, ſed carnaliter impendunt; ut ei non ad virtutem, ſed quaſi miſerendo ad culpas faveant. Hi

itaq; crucem quidem videntur ferre, sed Dominum non sequuntur. Unde rectè hæc eadem Veritas dicit: Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. *Te Deum laudamus.*

Ad Missam Introitus. Statuit ei Dominus &c. *Ut in Com. unius Mart. Pontif.*

Die XXIV. Septembris.

IN FESTO S. RUPERTI Ep. Conf.

ORATIO.

ECclesiam tuam quæsumus Domine, piâ miseratione custodi, & quam Beatissimus Confessor tuus & Episcopus Rupertus te præsidiante purgavit ab hæresibus, ipsius orationibus non desinas momentis omnibus adjuvare. Per Dominum.

Lectio II.

RUpertus Vangionensis Episcopus, sub Childeberto secundo Francorum Rege, genus suum ab iisdem ducens hoc suum existimabat, quod egenis contulisset. Ejus ope tam vicinæ, quàm longinquæ regiones in salutis viam traductæ sunt. Ac Theodo Bavariæ Dux, miraculorum famâ auditâ, rogavit, ut suas ditiones invisere vellet. At ille, licèt persecutionibus fatigatus, Theodonem unà cum præcipuis proceribus, ac magnâ hominum multitudine baptizavit.

Lectio

Lectio III.

Cùm Episcopalem sedem ad lacum Walersee constituisset, templúmq; in honorem B. Petri, ac Juvavium in loco, qui nunc Salisburgum dicitur, Clericorum ministeriis primus erexisset, animum statim ad reliquam gentem Bavariæ imbuendam convertit. Quare Bavarorum Apostolus appellatus est. Cùm denique Episcopatum pluribus annis, summâ cùm laude rexisset, sacrosancto Missæ sacrificio, ipso Dominico Resurrectionis die, peracto, ac discipulorum animis paternâ hortatione confirmatis, cœlesti vitâ perpetuò fruiturus, migravit ad Dominum. *Te Deum.*

Die XXVII. Septembris.

Translat. S. STANISLAI, Episc. & Mart. *Duplex.*

ORATIO.

DEUS, pro cujus honore &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

ECce Stanislaus computatus est inter filios Dei, & inter Sanctos sors illius est. Honorificavit eum Pater æternus, qui in cœlis est: centuplum accepit in hac vita, & vitam æternam possedit. Nam qui vivus cœcis viam demonstrabat, mortuus cœcos illuminat: qui vivus unum solum mortuú, magnâ nostri orbis admiratione, à mortuis excitavit, mortuus plures de sorte mortis sustulit

ſtulit, qui vivus ferro Boleslai ceſſit, mortuus univerſos exercitus, atque acies integras, piorum Regum patronus & adjutor, gentisq; ſuæ amator fugat. Itaque cùm locus ille, ubi depoſitus fuit, populi frequentiam, quæ illuc opis causâ confugiebat, continere non poſſet, Lambertus hujus nominis tertius, Succeſſor ejus, & Princeps Vladislaus, divinis viſionibus admoniti, oſſa Sancti, odorem ſvaviſſimum ſpirantia, ſanctè ac reverenter in primarium templum Cracovienſe, ſancti Wenceslai tum dictum, transferunt. Sic ſuo Altari Pontifex, Cathedræ Doctor, templo Epiſcopus, populo Paſtor poſt decennium reſtituitur. ℟. *Honeſtum fecit illum.*

Lectio V.

POſt centum tandem & ſeptuaginta annos excitat Dominus ſpiritum Prandotæ Epiſcopi Cracovienſis, Viri ſancti, Boleslai item Ducis, cum ſua conjuge Kinga fœmina caſtiſſima. Qui miraculis ſancti Epiſcopi collectis, & fide publicâ, tanquam igni probatis; Legatos ad Innocentium Quartum, Summum Pontificem mittunt: atq; ut tantum Virum in numerum Sanctorum referre velit, diligenter precantur. Fit conſultatio Aſſiſii, ubi tum fortè erat Summus Pontifex. Inter alios tum unus adverſabatur cauſæ Divi Stanislai, Reinholdus Cardinalis Oſtienſis, Vir primæ authoritatis: Incidit hic in gravem & lethalem morbũ: cui in ſomnis apparet Divus Stanislaus; indignè illum facere docet, qui Dei reſiſtat voluntati:

tati: excitatur ſenex, Divo ſe commendat: convaleſcit; cauſam antea oppugnatam tuetur. Fit ſummus conſenſus omnium: Epiſcopus ſanctus inter Martyres refertur. ℟. *Deſiderium animæ.*

Lectio VI.

Contigerat, Deo ità ordinante, inter ipſam rem ſacram, ut mortuus adoleſcens à matre in illud templum Divi Franciſci dictum deduceretur. Pontifex Deum ſupplex precatur, ut novo miraculo factum ſuum confirmet: erigit ſe ſubitò adoleſcens: fit ingens lætitia omnium. Summus Pontifex pro ſuggeſtu gratias Deo agit: Martyrem luculentiſſimâ oratione celebrat: diem VIII. Idus Maji memoriæ ejus ſolemnem aſſignat. Redeunt Legati cum ingenti lætitia, annuntiantes, quanta Deus fecit cum Martyre ſuo. Prandota Epiſcopus oſſa Sancti ex pulvere terræ ſublevat, eaque pro more ſolito in Altari condit, Boleslao Rege pudico, ac Regina pudiciſſima, cæteríſque Epiſcopis, ac Ducibus Regni & vicinarum Provinciarum aſſiſtentibus. Et factum eſt in die illa gaudium magnum: benedixitq; Dominus noviſſimis Stanislai magìs, quàm principio ejus. ℟. *Stolâ jucunditatis.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit JESUS Phariſæis: Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Basilii Episcopi.

QUomodo, cùm magna dicit: Ego manu meâ firmavi terram, ego produxi cœlos solus: quomodo cùm alibi dicit: Ego sum Pastor bonus. Arcet degeneres, & veritatem sibi ipsi vendicat: Ego sum Pastor ille bonus. Disce quis sit Pastor, & quis sit bonus ille. Ipse hoc interpretatur: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis: Mercenarius verò, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, illi nihil est curæ, quando lupum venientem videt. Hìc quærit Ecclesia: Si Dominus Pastor est, quis sit mercenarius Pastor? Num Diabolus? Et si Diabolus mercenarius Pastor est, quis sit lupus? At lupus Diabolus est, bestia immanis, rapax, insidiosa, communis omnium hostis. Habeat itaq; propriam appellationem mercenarius Pastor. ℟. *Corona aurea.*

Lectio VIII.

TUnc quidem mercenarios Pastores Dominus vocavit, ad eos conversus, qui tunc erant: sunt verò & nunc (quod minimè vellem) qui non ut prosint ovibus, Pastores agunt: quibus propriè mercenariorum appellatio convenit. Tunc Principes Sacerdotum notabantur & Pharisæi, & tota illa secta Judaica: illos dixit mercenarios esse Pastores, qui non veritatis, sed quæstûs sui gratiâ pascendi potestatem usurpabant: qui vano prætextu precationibus instabant, ut panem comederent viduarum, & orphanorum. Mercenarii sunt, qui proprium compendium curant. Qui præ-

præſentia ſectantes, ad futura non aſpiciunt, mercenarii ſunt, non Paſtores. ℟. *Hic eſt verè Martyr.*

Lectio IX.

ET cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Quid vocat cognoſcere? Oves meæ, inquit, vocem meam audiunt. Ecce quomodo cognoſcatur Deus, ex eo, quòd præcepta illius audimus: ex eo, quòd illa audientes opere adimplemus. Hæc demum eſt cognitio Dei, obſervantia videlicet præceptorum Dei, non inanis illa curioſitas, non eſſentiæ Dei, & ſupra mundanorum inveſtigatio, non rerum inviſibilium conſideratio. Satìs tibi ſit ſcire, Paſtorem eſſe bonum, animam ſuam poſuiſſe pro ovibus. Quantus verò ſit Deus, & quæ illius menſura, & qualis eſſentia; talia ſciſcitanti ſunt periculoſa; ei autem, qui rogatur, perplexa: & talium medicina eſt, ſilentium. Qui verò noſtram hanc panegyrim congregavit, nos cuſtodiat indemnes, illæſos, & à lupi rapacitate ſecuros, Eccleſiam hanc immotam, ac magis Martyrum turribus munitam, conſervet: omnes furentium hæreticorum inſidias & incurſus, in tranquillitate ac ſilentio avertat: nobis verò donet, ut divina oracula diſcamus, & doceamus, ſubminiſtratâ à Spiritu Sancto gratiâ: cui cum Patre & Filio ſit gloria & imperium nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Te Deum.*

Ad Miſſam Introitus. Statuit ei Dominus. &c. *Epiſtola S. Pauli Apoſtoli ad Hebræos.* Fratres, Omnis Pontifex.

Evan-

Evangelium. Ego sum Pastor bonus &c. *Ut in Missa S. Thomæ Episcopi & Mart. 29. Decembr.*

FESTA OCTOBRIS.

Die X. Octobris.

IN FESTO SS. GEREONIS & Soc. Mart.

ORATIO.

TRibue quæsumus, omnipotens Deus, beatorum Martyrum tuorum Gereonis, sociorúmque ejus sacrarum precum ubiq; nos muniri suffragiis, ut eorum intervenientibus meritis, famulatûs nostri tibi placere possint obsequia. Per Dominum.

Lectio II.

BEatus Gereon, ejúsq; Socii trecenti decem & octo passi sunt Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, quos in campis Agrippinæ civitatis assecuti carnifices, universos eâdem Christi fide armatos obtruncârunt in loco, qui ab incolis ad Martyres dicitur; ubi in præaltum puteum conjecerunt occisorum corpora. Intereà cohors illa trecentorum ac triginta Christianorum, quæ beatum Victorem comitabatur, pervenerat ad Francorum oppidum, quod ex Majorum sedibus Trojam nuncupabant, ubi fixis per prata castris, obruti sunt

ti sunt à supervenientibus Thebæorum Tyrannis, qui occisis universis, corpora eorum in locis palustribus submerserunt.

Lectio III.

EOdem tempore trecenti quinquaginta Christiani Milites, qui ex Mauritania Africæ regione ad eosdem Gallicos tumultus sedandos evocati, navigio descenderunt, pro fide trucidati, eandem cum beato Gereone; ejúsq; Sociis corporum quietem, & venerationem repererunt Coloniæ. Helena autem Constantini Mater, acceptâ à filio potestate sublimandi sepulturas Martyrum, ipsorum honori magnificam & divitem Basilicam exædificavit. *Te Deum.*

Die XIII. Octobris.
IN FESTO
S. EDUARDI Regis Conf.
Semiduplex.

Omnia de Comm. Confess. non Pont. præter orationem, & Lect. secundi Nocturni.

ORATIO.

DEus, qui beatum Regem Eduardum Confessorem tuum æternitatis gloriâ coronâsti; fac nos quæsumus ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cœlis. Per Dominum.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

EDuardus cognomento Confessor, nepos sancti Eduardi Regis & Martyris Anglo-Saxonum Regem ultimus (quem futurum Regem Brithualdo viro sanctissimo in mentis excessu Dominus demonstravit) decennis à Danis Angliam vastantibus quæsitus ad necem, exulare cogitur apud avunculum Normanniæ Ducem: ubi in mediis vitiorum illecebris talem se exhibuit integritate vitæ, morúmq; innocentiâ, ut omnibus admirationi esset. Eluxit in eo, vel tum, mira pietas in Deum, ac res divinas, fuitq; ingenio mitissimo, atque ab omni dominandi cupiditate alieno; cujus ea vox fertur. Malle se Regno carere, quòd sinè cæde, & sangvine obtineri non possit. ℟. *Honestum fecit.*

Lectio V.

EXtinctis mox tyrannis, qui fratribus suis vitam, & regnum eripuerant, revocatur in patriam: ubi summis omnium votis, & gratulatione regno potitus, ad hostilium irarum delenda vestigia totum se convertit, à sacris exorsus ac Divorum templis: quorum alia à fundamentis erexit, alia refecit, auxitque redditibus, ac privilegiis; in eam curam potissimùm intentus, ut reflorescerer collapsa Religio. Ab aulæ proceribus compulsum ad nuptias, constans est assertio scriptorum, cum Virgine Sponsa Virginitatem in matrimonio servâsse. Tantus in eo fuit in Christum amor, & fides,

fides, ut illum aliquando inter Missarum solemnia videre meruit blando vultu, & Divinâ luce fulgentem. Ob profusam charitatem, orphanorum, & egenorum pater passim dicebatur, numquam lætior, quàm cùm Regios thesauros exhausisset in pauperes. ℟. *Amavit.*

Lectio VI.

PRophetiæ dono illustris de Angliæ futuro statu multa cœlitus prævidit; & illud in primis memorabile, quod Sweyni Danorum Regis in mare demersi mortem, dum Angliam invadendi animô classem conscenderet, eôdem quo accidit momento, divinitus intellexit. Joannem Evangelistam mirificè coluit, nihil cuiquam, quod ejus nomine peteretur, negare solitus. Cui olim sub lacera veste, suo nomine stipem roganti, cùm nummi deessent, detractum ex digito annulum porrexit, quem Divus non ità multò post Eduardo remisit, unâ cum nuntio secuturæ mortis. Quare Rex, indictis pro se precibus, ipso ab Evangelista prædicto die, piissimè obiit. Nonis videlicet Januarii, anno salutis 1066. quem sequenti sæculo Alexander Papa III. miraculis clarum, Sanctorum fastis adscripsit. At ejus memoriam Innocentius XI. officio publico per universam Ecclesiam eo die celebrari præcipit, quo annis ab obitu 63. translatum ejus corpus incorruptum, & suavem spirans odorem, repertum est. ℟. *Iste homo.*

In III. Nocturno Homilia S. Gregorii P. in Evangelium

L.

lium Sint lumbi vestri præcincti. *ut in comuuni Confessoris non Pontif.*

Missa Os justi, &c. *de Communi Conf. non Pontif.*

Oràtio Deus qui, &c. *ut suprà.*

Evangelium. Sint lumbi vestri præcincti, &c.

A sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum, & ab omnibus Christi fidelibus utriúsque sexûs tàm sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sub ritu semiduplici de præcepto recitandum, die 13. Octobris.

Die XV. Octobris.

IN FESTO
S. HEDVIGIS Viduæ,
Patronæ Silesiæ. *Duplex.*

Ad Vesp. Antiph. Dum esset Rex &c, *Cum reliquis, ut in Com. nec Virg. nec Mart.*

ORATIO.

DEus, gratiæ dator & gloriæ, tuæ nobis propitius sinum pietatis aperi & præsta, ut qui manentem civitatem hìc non habemus, ad futuram, quam quærimus, beatæ Hedvigis interveniente suffragio perducamur. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni.

Mulierem fortem quis inveniet? &c. *De Com. nec Virg. nec Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

CRescente Religione Christiana in partibus Po-

loniæ, quæ provincia eſt contigua finibus paganorum, ut eò glorioſiùs lumen fidei illuceſceret neophytis, & Petri navicula, inter perfidorum inſidias firmiore remigio navigaret; veluti ſtella matutina à remigio navigaret, veluti ſtella matutina à regalibus emiſſa ſedibus, Henrici Longobardi Poloniæ & Boëmiæ Principis Conjux Hedvigis præ cæteris partibus Poloniæ, terram Sileſiæ illuſtravit. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

FUlſit claritate natalium ab his, qui ſceptra geſtârunt regnorum, & quos inſignes effecit Imperii celſitudo: Fuit enim Bertholdi Marchionis Meraniæ, Comitis Tyrolenſis filia: tres habens fratres germanos, Patriarcham Aquileienſem, Epiſcopum Barienſem, & Meraniæ Ducem & Comitem, Patris hæredem & ſucceſſorem, viros multæ dignitatis & virtutis generoſitate præclaros; habuit tres ſorores uterinas, unam Reginam Franciæ Philippi, alteram Hungariæ, Matrem S. Eliſabethæ, tertiam Abbatiſſam inſignem in Ordine S. Benedicti. ℟. *Dilexiſti juſtitiam.*

Lectio VI.

LIcèt enim ætas puellaris tenera ſit & prona in vitium: hæc tamen uſq; ad duodecimum annum virtutibus cardinalibus ſubnixa, tanquam columnis fortiſſimis, probata eſt, curſum ſuæ pueritiæ cucurriſſe. In Matrimonium data, illud ſemper honorabile & immaculatum cuſtodivit, nullum jejunium aut diem feſtum judicans, quem caſtitatis merito non condiviſſet. ℟. *Fallax gratia.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. *De Com. nec Virg. nec Mart.*

Ad Missam Introitus. Gaudeamus omnes: *ut in festis Patr. Regn. Pol. habetur. Dicitur* Credo.

Die XVI. Octobris.

Pro S. GALLO Abbate.

Lectio IX.

GAllus nobilis Scotus, sub sancto Columbano religiosæ vitæ institutum coluit. Cum eodem ad Gallos & Helvetos profectus, multos Christianæ fidei præceptis erudivit, nonnullos ad pauperis Christi sectanda vestigia perduxit. Ad locum Durienium, & alibi dæmonum simulacra succendit, in abstrusa solitudinis loca se abdidit: ubi quantò mitiùs etiam feræ immanes ei morem gerebant, tantò ferociùs dæmones fœdissimis spectris adorientes ferventissimis precibus cum triduano jejunio, & corporis verberatione fugavit: tandem Ducis Gunzonis filiam à dæmone vexatam sanat, & spretis Ducis muneribus cum Constantiensi Episcopatu, ad solitudinem revertitur: in qua severiori disciplinâ informatis & monasteriis pluribus exstructis, plenus dierum quievit in Domino. *Te Deum laudamus.*

Ad Laudes Hymnus, ut in primis Vesp. In Laud. com. Oct. S. Hedvigis & S. Galli.

Oratio. Intercessio. *De Com. Abbatum.*

Die

Die XVII. Octobris.
De Octava S. HEDVIGIS.
Semiduplex.
In II. Nocturno.
Lectio IV.

NIhilominus in ſumma caſtitate & continentia facta eſt ſicut vitis abundans in lateribus domus ſuæ, & filii ejus ſicut novellæ Olivarum in circuitu menſæ: filios enim tres, totidemq; filias viro ſuo protulit: Ex quibus Henricus fortia pro religione Chriſtiana aggreſſus, & tanquam alter Judas Machabæus caſtra Dei contra tartaros protegens, Martyrii palmam promeruit. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

FIlia Gertrudis, Virgo perpetua permanſit. Audiſtis exordium bonæ vitæ, videatis in hac fœmina religionis augmenta. Fructu Matrimonii Hedvigis quæſito, redditiſq; novalium fructibus, feriari ab opere connubiali incipit, eademq; Marito perſvadet: fit ſpiritualis deſponſatio in manu Pontificis; vivitur inter Sponſos angelica vita per annos viginti octo, non coram hominibus tantùm, ſed etiam coram Deo. ℟. *Dilexiſti juſtitiã.*

Lectio VI.

PArat deinde Hedvigis ſedem futuræ caſtitati; ampliſſimum Trebnicenſe Monaſterium extruit: filiam Gertrudem priùs præmittit, magnos

greges Virginum sanctarum collegit: ipsa demum consequitur. In oratione diurna atque nocturna, nudis etiam mediâ hyeme pedibus assidua: in jejuniis multis per totos quadraginta annos perseveravit, ità ut die dominico, tertia & quinta feria, piscibus & lactariis tantùm, Sabbatho, & feria secunda, aridis leguminibus, quarto & sexto die aquâ & pane solo duntaxat vesceretur. ℟. *Fallax gratia.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore, Dixit JESUS discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorũ thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 11. in Evang.

RUrsum cœleste regnum negotiatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quærit, sed unam pretiosam invenit, quam videlicet inventam, omnia vendens emit: quia qui cœlestis vitæ dulcedinem in quantum possibilitas admittit, perfectè cognoverit; ea, quæ in terenis amaverat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata disperdit, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet: deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. ℟. *Os suum aperuit.*

Lectio

Lectio VIII.

RUrsus simile esse regnum cœlorum sagenæ in mare missæ dicitur, ex omni genere piscium congreganti, quæ impleta ad littus educitur, & in vasis boni pisces eliguntur; mali autem projiciuntur foras. Sancta Ecclesia sagenæ comparatur; quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum à præsentis sæculi fluctibus trahitur; nè in æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piscium congregat: quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & servos, divites & pauperes, fortes & infirmos vocat. ℟. *Regnum mundi.*

Lectio IX.

QUæ sagena, scilicet Ecclesia tunc universaliter repletur, cùm in fine suo humani generis summa concluditur. Quam educunt, & secus littus sedent; quia sicut mare sæculum, ità sæculi finem significat littus maris. In quo scilicet fine boni pisces in vasis eliguntur, mali autem projiciuntur foras; quia & electi quique in tabernacula æterna recipiuntur, & interni regni luce perditâ ad exteriores tenebras reprobi pertrahuntur. *Te Deum laudamus.*

Die XX. Octobris.

De Octava. *Semiduplex.*

In II. Nocturno.

~~De Serm. S. Gregorii Nazianzeni.~~

Lectio IV.

PEdes pauperum, quos tredecim semper ubique secum circumduxit, lavit: ulcera eorum ligavit, captivos redemit, subditos oppressos tutata est. Irata à nemine unquam visa est, contenta eâ objurgatione: Deus tibi parcat. Non caruit Diva Hedvigis miraculorum ac prophetiæ spiritu & gratia; Duabus Sanctimonialibus visum restituit, & duos recenter suspensos, magnâ omnium admiratione, ad vitam revocavit. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

MOrtis item Mariti sui tempus & rationem longe ante prædixit, & filii eodem modo: cujus cædem eo ipso die, quo cæsus est, in remotissimis partibus cognovit, & ipsa diem sui obitus multo priùs præsensit & prædixit. Accidit quoque, ut quâdam Moniali in Ecclesia remanente, cùm sancta Hedvigis de more sedilia & scabella pedum Monialium exoscularetur, signum Crucifixi in majore Altari existens, dextram manum extenderet, dicens: Hedvigis, exaudita est oratio tua. ℟. *Dilexisti justitiam.*

Lectio VI.

PRiusquam morbo gravi correpta fuisset, sacram Unctionem accepit. Sanctimoniales se

ægram ſine permiſſione ſuperiorum inviſentes pepulit; nihil ſanctum eſſe docens, quod cum obedientia Majorum ſuſceptum non eſſet. Priuſquam moreretur, magna hilaritate Sanctos cum ſplendida luce ad ſe venientes ſalutavit. Mortua eſt die ſancti Matthæi hora Veſpertina, quâ jejunia ſua pane ſolo reficere ſolebat, anno ſalutis humanæ milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio. Ac poſt multis editis miraculis, in numerum Sanctorum à Clemente quarto relata eſt. In cujus Canonizatione mulier cæca viſui reſtituta eſt. *Reſp. Fallax gratia.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri
Lib. 2. in Matth. 13.

THeſaurus iſte, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, aut Deus verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus; aut ſanctæ ſcripturæ, in quibus repoſita eſt notitia

Salvatoris: Quem cùm quis in eis invenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere. ut illum poſſit habere, quem reperit. Quod autem ſequitur: quem, cùm invenerit homo, abſcondit: idcirco dicitur, non quòd hoc de invidia faciat, ſed quòd timore ſervantis, & nolentis perdere, abſcondat in corde ſuo, quem priſtinis prætulit facultatibus. ℟. *Os ſuum aperuit.*

Lectio VIII.

ALiis verbis idipſum, quod ſuprà, dicitur. Bonæ margaritæ, quas quærit inſtitor, Lex & Prophetæ ſunt. Unum autem eſt pretioſiſſimum margaritum, ſcientia Salvatoris, & Sacramentum paſſionis illius, & reſurrectionis arcanum. Quod cùm invenerit homo negotiator, ſimilis Pauli Apoſtoli, omnia legis, Prophetarumq; myſteria, & obſervationes priſtinas, in quibus inculpatè vixerat, quaſi purgamenta contemnit & quiſquilias, ut Chriſtum lucri faciat. Non quòd, inventio novæ margaritæ, condemnatio ſit veterum margaritarum; ſed quòd, comparatione ejus, omnis alia gemma vilior ſit. ℟. *Regnum mundi.*

Lectio IX.

INtellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ad Apoſtolos propriè ſermo eſt: quos non vult audire tantùm, ùt populum, ſed intelligere, ùt Magiſtros futuros. Inſtructi erant Apoſtoli; Scribæ, & Notarii Salvatoris, qui verba illius, & præcepta ſignabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cæleſtium ſacramentis, & pollebant opibus

bus patrisfamilias, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum nova, & vetera; ut quidquid in Evangelio prædicabant, Legis & Prophetarum vocibus comprobarent. Unde & sponsa dicit in Cantico Canticorum: Nova & vetera, fratruelis meus, servavi tibi. *Te Deum.*

Die XXI. Octobris.

SS. URSULÆ & Soc.

Virg. Mart. *Duplex.*

Oratio. Da nobis quæsumus. *De Com. Virg.*

In III. Nocturno.

Lectio IV.

URsula, Diomethi Britonum Regis filia, Virgo Christi & castitatis amore succensa, à Conano, summæ dignitatis Viro, in conjugem petita, cum pluribus virginum millibus, quæ itidem Britanicis militibus, in Armorica cum eodem Conano Duce suo degentibus, novæ Coloniæ propagandæ causà, in matrimonium destinatæ erant, illuc proficisci cogitur. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

Cùm itaque, conscensis navibus, per maria feruntur, exortâ sævâ tempestate, ab incepto cursu, fluctibus abreptæ, ac post longos errores & pericula in littus impulsæ, tandem, Deo ad coronam martyrii eas vocante, in Hunnorum exercitum, Christi nomini inimicum, incidunt. Barbara itaq; Hunnorum gens, castissimum gregem violan-

violandæ pudicitiæ animo aggressa, vim inferre tentat. ℟. *Dilexisti justitiam.*

Lectio VI.

QUia verò sanctarum Virginum cætus, hortatu beatæ Ursulæ, potiùs dira quæque, ac crudelissimam mortem Religionis & castitatis causà perpeti, quàm tantâ labe inquinari firmissimè decreverat; Ideo Hunni tantâ virtutis constantiâ in furorem acti, barbaricâ crudelitate in universam multitudinem ferro desæviunt, omnibúsque trucidatis abeunt. Sic sacra Virginum societas candore castitatis, & effusi sangvinis rubore decora, feliciùs ad cœlestis Sponsi complexum, quàm ad terrena nuptiarum fœdera migravit. Earum corpora Coloniæ Agrippinæ, ubi eas passas esse ejusdem Ecclesiæ traditio tenet, sepulta, magno in honore habentur. ℟. *Afferentur Regi.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Simile est regnum cœlorum decem virginibus. *Nona Lectio de S. Hilarione Abb. In Laud. com. Oct. & S. Hilarionis Ab. Ad Missam Introitus.* Me expectaverunt. *Epistola.* De Virginibus præceptū Domini non habeo.

Die XXII. Octobris.

Octava S. HEDVIGIS.

Duplex.

In II. Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Lectio

Lectio IV.

DUplicia pallia fecit viro suo. Jam acclamatis: credo, quòd agnoscitis, quæ sunt duplicia pallia, Laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis, Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas & hominem. Dupliciter lauda, simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est & Deus: simpliciter, ut non sit fictus. Confitere Deum, confitere hominem; lauda hominem in Deo. Texuit pretiosissimum illud pallium laudis: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Texuit & aliud pallium, propter conversationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

HIc ergo ista laboriosa, vigilans, sollicita, severè castigans domum suam, surgens de noctibus, intuens lucernam, ne extinguatur; in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fusum confirmans, non pigrum panem manducans. Ob labores istos, quasi paupertatis & necessitatis sæcularis, quid erit, quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit? Audite. Propter quam spem ardeat lucerna nostra totâ nocte, nunc audite. Surrexerunt filii ejus, & ditati sunt. Modò in paupertate vivimus, in paupertate dormimus: Sed surgemus, & ditabimur. Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? Unam vestem habent

habent lucis: nunquam ſordidatur. Si filius es mulieris hujus, attende, quando tibi divitiæ promittantur: ſurrexerunt filii ejus, & ditati ſunt, parati reſurrectionis divitias accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas venire. ℞. *Dilexiſti juſtitiam.*

Lectio VI.

ET vir ejus laudavit eam. Multæ, inquit, filiæ fecerunt potentiam. Laudes ſunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ? Quibus hæc comparatur? Non comparatur. Tu autem ſuperâſti. Attendite ergo vos, jam in fine lectionis ſumus. Multæ filiæ fecerunt potentias, multæ locutæ ſunt lingvis, ſcierunt omnia ſacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia excluſerunt, res ſuas pauperibus diſtribuerunt, corpora ſua ignibus tradiderunt: inflatæ ſunt, quia caritatem non habuerunt. Tu autem ſuperâſti, & ſuperpoſuiſti omnes, non ſolùm flore, ſed & fructu gravida abundans. Date illi de fructibus manuũ ſuarum. Quid date? Venite benedicti Patris mei. De quibus fructibus manuum ejus? Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. Et quod illi deinde negotium erit finitis laboribus? Et laudetur in portis vir ejus. Ipſe erit portus laborum noſtrorum: videre Deum: laudare Deum. ℞. *Fallax gratia.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Quæst.* 16.

IDeo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. Utrùm istâ conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum? Quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum Testamentorũ, novi & veteris concluduntur. Quemadmodùm apud alium Evangelistam, gladium bis acutum tali conclusione videtur exponere. ℟. *Os suum aperuit.*

Lectio VIII.

AN quia in parabolis ista locutus est? Et cùm quæsisset ab eis, utrùm intellexissent, responderunt se intellexisse. Fortasse istâ similitudine ultimâ, Patrisfamilias proferentis de thesauro suo nova & vetera, ostendere voluit, eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam Scripturas veteres parabolis explicatas intellexit, ab istis novis accipiens regulas; quia & ista Dominus per parabolas enuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum, id est, ut in eo illa vetera complerentur. ℟. *Regnum mundi.*

Lectio IX.

UT si ipse, in quo illa complentur & manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec ejus passio

passio velum discindat, ut nihil sit occultũ, quod non reveletur: multò magis illa, quæ ad comendandam tantam ejus salutem tam longè de illo scripta sunt, parabolis operta esse noverimus: quæ cùm Judæi ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est. *Te Deum laudamus.*

Si Dominica inciderit in 17. vel 20. Octobris, in II. Noct. Lectiones legantur consequenter de vita S. Hedvigis.

Die XXIII. Octobris.

IN FESTO

S. SEVERI Ep. Conf.

ORATIO.

DEus, qui æternæ gloriæ beatum Severum Confessorem tuum, atq; Pontificem participem fieri concessisti, concede nobis propitius, ipso intercedente, aditum regni cœlestis, cujus ad bene vivendum informamur exemplis. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio III.

SEverus Ravennæ in Italia ortus, pauperem cum uxore & filia vitam duxit. Mortuo ibidem Præsule, Electioni novi Episcopi præstolatur post ostium latitans. Verùm niveæ columbæ, capiti ejus tertio insidentis indicio proditus, in Episcopum (quod illi per jocum dictum fuerat) invitus

con-

constituitur. In spiritu raptus, Geminiano Mutiensium Præsuli moribundo adfuit. Mortuæ filiæ corpusculo (dum id in cryptam Matris jam pridem sepultæ inferri jubet) prohibente loci angustiâ, spatium precibus evincit. Ipse obitûs sui præscius, populo in fide & charitate confirmato, idémque sepulchrum ingressus efflavit animam. *Te Deum laudamus.*

Die XXIV. Octobris.

IN FESTO

S. SEVERINI Ep. Conf.

ORATIO.

DEus, qui beatum Severinum Confessorem tuum, atque Pontificem hodierna die suscepisti, atque remunerâsti, concede propitius ut qui ejus gaudemus meritis, provocemur exemplis, & ejus intercessione veniam, & vitam mereamur æternam. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio III.

SEverinus sub S. Athanasio Ecclesiam contra hæresim in Germania tutatus, confluentibus totius Galliæ, aliarúmque Provinciarum ad Synodum Coloniensem Doctoribus, amoto Ephratâ Ariano, Ecclesiæ Agrippinensi præficitur, B. Materni dignissimus successor. Auditâ cœlesti melodiâ edoctus est, B. Martinum Turonensem Episcopum vitâ decessisse. Erat tùm quis è Principum familia, qui primâ nuptiarum nocte, intactâ Sponsâ, unico ligneo poculo asportato, eremo se ad-

se addixerat; Hic B. Severinum paris esse meriti divinitus cognovit. Senex Burdegalas profectus, à B. Amando exceptus est. Ubi post multa virtutum insignia, obdormivit in Domino, & in Ecclesia Burdegalensi primùm sepultus, deinde à Coloniensibus triennali siccitate afflictis, quòd pastorem suum non repetiissent, in propria translatus est. *Te Deum laudamus.*

Die XXIX. Octobris.

IN FESTO SS. CRISPINI & CRISPINIANI Mart.

ORATIO.

DEus, sincerum lumen mentium, lúxque perfecta beatorum, da cordibus nostris, & dignam tibi orationem persolvere, & in Sanctorum tuorum Crispini & Crispiniani gloriosa te semper victoria collaudare. Per Dominum, &c.

Lectio III.

CRispinus & Crispinianus clari natalibus, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Christum in Gallia prædicaturi Svessionem deveniunt. Inde rejecti, & artem sutrinam mirificè edocti, reficiendis pauperum calceis occupantur. Ad quos multi non tam artis, quàm fidei perdiscendæ gratiâ accurrunt. Comprehensi, Rictiovaro excruciandi traduntur. Quare ad trochleam extensos fustibus cædi: tum è dorso corrigias exscindi, &

pi, & inter digitorum ungves defigi sudes impeʼrat. Dein alligatis ad colla molaribus ex flumine Axona incolumes, in plumbum liquefactum conjecti, in medio ignis Deum magnificant. Rictiovarum autem ferventis plumbi gutta excæcat. Denuo adipe, pice, & oleo sævitum in Martyres. Unde ab Angelo ereptis, Rictiovarus furibundus in flammas se præcipitat. Quo audito, Maximianus utrúmq; gladio feriri jubet. *Te Deum.*

Die XXXI. Octobris.

IN FESTO S. WOLFGANGI Ep. & Conf. *Duplex.*

Omnia de Com. Confeß. Pontif.

ORATIO.

DEus, qui nobis æternæ salutis Beatum Wolfgangum Episcopum, ministrum tribuisti, præsta quæsumus, ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum, &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

WOlfgangus Nobili in Svevia genere prognatus, rerum exterarum fuit & sui contemptor egregius, solùm ex animo Deum quærens, honores amplissimos ab Henrico Trevirensium Episcopo sibi oblatos recusavit, illóq; demortuo pollicitationibus aliorum contemptis, monasticam tandem

pem vitam, cujus semper desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris ordinibus à B. Udalrico initiatus, cùm in Pannoniam prædicandi Evangelii causà se priùs contulisset, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, Othonis Imperatoris studio, totiúsq; Cleri, & populi acclamatione Ecclesiæ Ratisponensi ritè præficitur. ℟. *Inveni David.*

Lectio V.

SUscepto Episcopatûs munere, gregem Domini verbo pavit, & exemplo, sanctissimisq; Ecclesiam temperavit institutis: Monasterio sancti Emmerami, quod jamdiù Episcopi administraverant, restitutis proventibus, magno illius bono, insignem Virum Ramuoldum præposuit. Sanctimonialium Cœnobium, quod ipse fundaverat, tam sanctè instituit, ut collapsa in aliis disciplina eo exemplo sit facilè restaurata, novoq; pietatis odore capta Brigida, Bavariæ Ducis filia, Sponsum Christum secuta, ad sacras se Virgines aggregavit. Bohemis, quò ampliora apud illos fides incrementa caperet, contempto suæ Ecclesiæ detrimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissimè permisit. ℟. *Posui adjutorium.*

Lectio VI.

EGregiam Viri sanctitatem comprobarūt Energumeni, & variis languoribus oppressi, quos precatione sanavit. Divino afflatus instinctu sanctum Henricum Imperatorem regnaturum, Fratrem ipsius Brunonem ad Episcopatum promotum

tum iri; è Sororibus alteram Reginam, Abbatissam alteram fore prædixit. Denique cùm viginti, & ampliùs, annis in seduli Pastoris munere peractis, extremum sibi diem imminere intelligeret, quæ ex usitata liberalitate supererant, per manus pauperum præmisit, sacræque Eucharistiæ viatico præmunitus, in sancti Othmari æde, utì divinitùs anteà futurum acceperat, sanctissimam vitam pari morte conclusit, Ratisponæ in Templo sancti Emmerami sepultus. ℟. *Iste est, qui.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Vigilate. *Ex Com. Conf. Pontif. Nona Lectio & com. Vigil. Omnium SS.*

Ad Missam Introitus. Sacerdotes tui.

FESTA NOVEMBRIS.

Festum Beatiss. Virginis MARIÆ de Victoria.

Dominicâ post Octavam Omnium Sanctorum celebrandum sub Ritu duplici Secundæ Classis.

Ad Vesperas.

Antiph. Dum esset Rex. *cum reliquis Antiphonis & Psalmis ùt in Officio parvo B. Mariæ.*

Capit. Ab initio. *Hymnus.* Ave maris stella.

 ℣. Di-

℣. Dignare me laudare &c. &c.
℟. Da mihi virtutem &c. &c.

Ad Magnif. Antiph.

SAncta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem.

ORATIO.

Concede nos famulos tuos &c.

Ad Matutin. Invitatorium.

SAncta Maria Dei Genitrix Virgo. * Intercede pro nobis.

Psalmi. Venite exultemus &c.

Hymnus. Quem Terra. *Antiphonæ & Psalmi Nocturnorum cum Vers. ùt in parvo Officio B. Mariæ.*

In I. Nocturno.

De Parabolis Salomonis.

Ego Sapientia habito. *ùt in Festo B. Mariæ ad Nives cum Responsoriis.*

In II. Nocturno.

Lectiones prout in Octava Nativitatis B. Mariæ. Sermo S. Cyrilli Alexandrini. Hilarem video.

In III. Nocturno.

Prout in Festo B. Mariæ ad Nives.

Missa de Eadem Festivitate.

Die

Die 6. Novembris.

IN FESTO S. LEONARDI Abb.

ORATIO.

MAjeſtati tuæ, quæſumus Domine, ſanctiLeonardi Abbatis pia jugiter nos commendet oratio: ut quem devoto veneramur obſequio, ipſius ſuffragio ſublevemur optato. Per Dominum.

Lectio IX.

LEonardus, regio genere ortus, à B. Remigio Epiſcopo Remenſi ſanctis moribus, doctrináq; ſalutari imbutus, recuſatis, quos illi Clodoveus offerebat, honoribus, ne munus Epiſcopale ſuſciperet cogeretur, Aquitaniam petiit: ubi plurimis ad Chriſti fidem converſis, in ſolitudinem ſe recepit. In ea fratribus aquam deſiderantibus, perennem ſuis precibus fontem impetravit. Idem cœcos, claudos, energumenos, & quolibet morbo laborantes, incolumitati reſtituit. Captivis demum Viri ſancti opem implorantibus, repente ſoluta vincula, effracti carceres, libertas reddita, atque alia multa miracula Viri ſanctitatem declarârunt. *Te Deum.*

Die X. Novembris.

IN FESTO S. LAZARI Ep. & Mart.

Duplex.

ORATIO.

DEus, qui per unigenitum Filium tuum beatum Lazarum, quatriduanum mortuum ſuſcitâſti à monumento, erige nos de tumulis peccatorum: ut mereamur adipiſci conſortium Electorum. Per eundem.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

LAzarus, nobilibus & copioſis parentibus natus, poſt Chriſti Domini aſcenſum in cœlum, cum Maria & Martha ſororibus, & Marcella pediſequa ac Maximino, uno ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti Domini, qui totam illam domum baptizaverat, multiſq; aliis Chriſtianis, comprehenſus à Judæis in navem ſinè velo ac remigio imponitur, vaſtiſſimoq; mari ad certum naufragiū committitur. Sed navis, Deo gubernante, ſalvis omnibus Maſſiliam appulſa eſt. Eo miraculo, & horum prædicatione primùm Maſſilienſes, mox Aquenſes, ac finitimæ gentes in Chriſtum crediderunt: Lazarusq; Maſſilienſium, & Maximinus Aquenſium Epiſcopus creatur. ℟. *Honeſtum fecit.*

De Sermone S. Joannis Chryſoſtomi.

Lectio V.

TEmpus animadvertite, fratres, quo dignita-

tem Episcopalem Beatus Lazarus est assecutus: neque enim est eadem nunc, quæ tunc erat, Ecclesiam gubernandi conditio: non æqualis est labor viam tritam, & planè paratam post multos ingredi viatores, atque eam, quæ nunc primò secanda est, quæque prærupta, & saxosa, ferisq; plena, nec ullum adhuc viatorem admisit. Tunc autem, quocumq; quis oculos verteret, ubique præcipitia, barathra, & bella, & pugnæ, & pericula: Imperatores, & Reges, & populi, & civitates, & gentes, & domestici, & alieni, credentibus insidias tendebant. ℟. *Desiderium.*

Lectio VI.

QUemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quòd vectores possit in portum incolumes ducere, cùm mare tranquillum est, cumque navis fertur ventis secundis: sed cùm insaniente pelago, ventisque sævientibus, qui in navi sunt, inter se dissentiunt, magna tempestate intus & foris navigantes exagitante, navim tamen potest dirigere, & conservare: sic eos, qui tunc Ecclesiam regebant, multò magis, quàm illos, qui eam in præsentia gubernant, suspicere debemus, & admirari, quando multa bella intus, & foris: quando fidei planta imbecillior erat adhuc, & diligentiâ magis indigebat: quando veluti modò genitus infans Ecclesiæ populus, magnam providentiam, atque sapientiam animæ, à qua nutriendus esset, postulabat. ℟. *Stolâ jucunditatis.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio VII.

IN illo tempore: Erat quidam langvens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 49. in Joan. post Initium.

MAria erat, quæ unxit Dominum ungvento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergò sorores ejus ad eum. Jam intelligimus, quò miserunt, ubi erat Jesus: quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum nuntiantes, quòd ægrotaret frater earum, ut, si dignaretur, veniret, & eum ab ægritudine liberaret: Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. ℟. *Corona aurea.*

Lectio VIII.

QUid ergo nuntiaverunt sorores ejus? Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Non dixerunt, veni: amanti enim tantummodò nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere: ibi jube, & hìc fiet. Cur enim non istæ, si fides istius Centurionis inde laudatur? Ait enim: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodò, Domine, ecce, quem amas infirmatur. Sufficit, ut noveris: non enim amas, & deseris. ℟. *Hic est verè Martyr.*

Lectio 9. & com. SS. Tryphonis &c. M. ut in Breviario Rom.

Ad Missum Introitus. Statuit ei Dominus. *Ut in Com. unius Mart. Pontif.*

Oratio. Deus, qui per unigenitum.

Evang. Erat quidam langvens Lazarus. *ùt in feria 6. post 4. hebdomadam Quadragesimæ.*

Cætera, prout in Missa sub dicto Introitu habentur.

Die XI. Novembris.
IN FESTO
S. MARTINI Episc. Conf.
Duplex.

Omnia ùt in Breviario Romano.

Die XIII. Novembris.
IN FESTO
S. DIDACI Confess.
Semidupl. de præcepto.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. exceptis iis, quæ habentur inf.

In II. Nocturno.
Lectio IV.

DIdacus Hispanus ex oppido S. Nicolai de portu Diœcesis Hispalensis, ab ineunte ætate, pii sub Sacerdotis disciplina sanctioris vitæ, solitaria in Ecclesia tyrocinium exercuit. Deinde ut firmiùs Deo se conjungeret, in Conventu de Arizzafa Fra-

ſa Fratrum Minorum (quos obſervantes vocant) S. Franciſci Regulam in ſtatu laicali profeſſus eſt. Magna ibi alacritate humilis obedientiæ, & regularis obſervantiæ jugum ſubiens, contemplationi in primis deditus, mira Dei luce perfundebatur, adeò ut de rebus cœleſtibus literarum expers, mirandum in modum, & planè divinitus loqueretur.

Lectio V.

CAnariis in Inſulis, ubi fratribus ſui Ordinis præfuit, multa perpeſſus, martyrii æſtuans deſiderio, plures infideles verbo, & exemplo ad Chriſti fidem convertit. Romam veniens anno jubilæi Nicolao V. Pontifice, ægrotorum curæ in Conventu Aræ Cœli deſtinatus, eo charitatis affectu munus hoc exercuit, ut urbe annonæ inopia laborante, ægrotis tamen, quorum aliquando ulcera, etiam lambendo abſtergebat, nihil penitûs neceſſarii defecerit. Eximia quoque fides, & gratia curationum in eo eluxit, cùm lampadis, quæ collucebat ante imaginem Beatiſſimæ Dei Genitricis, quam ſumma devotione colebat, oleo ægros inungens, ſigno Crucis impreſſo, multorum morbos mirabiliter ſanaverit.

Lectio VI.

DEmum compluti finem ſibi vitæ adeſſe intelligens, lacerâ, & obſoletâ indutus tunicâ, conjectis in crucem oculis, ſingulari devotione illis verbis ex ſacro hymno pronuntiatis; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ fuiſti digna portare Regem Cœlorum, & Dominum

num; animam Deo reddidit, pridiè Idus Novembris, anno Domini supra millesimum quadringentesimo sexagesimo tertio. Ejus corpus, cùm menses non paucos (ut pio confluentium desiderio fieret satis) insepultum mansisset, quasi jam incorruptionem induerit, odorem suavissimum afflavit. Illum multis & illustribus miraculis clarum, Sixtus V. Pontif. maximus Sanctorum numero adscripsit.

In III. Nocturno.

Pro S. Briccio Episc. Conf.

Lectio IX.

BRiccius Sancti Martini discipulus Diaconus & (ut prædixit) ejusdem in Episcopatu Turonensi successor, sede pulsus septem annos exulavit, ultrò semper confessus, justè se hæc pati ob injurias sanctissimo Magistro illatas. Quem cùm mulier impudicitiæ arguisset, adjuratus per Deum triginta dierum ex ea natus infans, innocentiam viri inusitata loquela declaravit. Id cum magicis artibus tribueretur, prunas ardentes in byrrhum suum posuit, & usq; ad sepulchrum Sancti Martini portavit; ubi projectis in terram prunis, vestimentum illæsum apparuit. Ecclesiam quadraginta septem annis in magna rerum varietate gubernans, miraculis clarus obdormivit Idibus Novembris. *Te Deum.*

Die XIV. Novembris.

Quarta Die.

Infra Octav. S. MARTINI.

Semiduplex.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Sermo S. Gregorii Nysseni.

CUm primùm benè morata ac modesta Ecclesia Beatum Martinum vidit, vidit faciem ad imaginem Dei verè formatam: vidit dilectionem fontis modô scaturientem: vidit gratiam labiis circumfusam, animi demissionis summum gradum, post quem ampliùs quicquam cogitari non potest: videt mansuetudinem, atque clementiam, qualis in Davide fuit: qualis in Salomone, intelligentiam, atque prudentiam: qualis in Samuele, perfectionem: qualis in Josepho, continentiam, pudicitiámque: qualis in Daniele, sapientiam: quemadmodum magnus Elias, zelo fidei præditum: sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatum: sicuti Paulus, inexuperabili præditum dilectione: vidit tot bonorum circa unam animam concursum; amore beato vulnerata est, casto bonóque Sponsum suum amore atque benevolentiâ prosecuta dilexit. ℟. *Oculis & manibus.*

Lectio V.

SEd priusquam cupiditatem expleret, antequam deside-

desiderium recrearet, atque sedaret, amoris vi servens, tentationibus athletam ad certamina vocantibus sola relicta est. Atque ille quidem in certaminibus proprietate susceptis desudabat; hæc verò durabat in castitate matrimonium conservans. Non ablatus est à nobis Sponsus, in medio nostrum stat, etiamsi nos non videamus, in adytis, ac penetrabilibus Sacerdos est: in interiobus veli, quæ præcursor pro nobis ingressus est Christus, reliquit carnis tegumentum: non amplius per speculum, atque per transennam & ænigma: sed ipsa facie cum facie collata intercedit apud Deum. ℟. *Beatus Martinus.*

Lectio VI.

INtercedit autem pro nobis, & populi erratis: deposuit tunicas pelliceas, neque enim tabulis tunicis opus habent, qui in Paradiso degunt, sed habent, indumenta, quæ puritate vitæ suæ contexuit, iisque sese exornavit. Honorata ac pretiosa coram Domino talis viri mors est; imò verò non mors, sed ruptura membrorum est: Dirupisti enim, inquit, vincula mea: dimissus est Simeon, liberatus est à vinculis corporis laqueus contritus est, & avicula avolavit; ingressus est terram promissionis: in monte cum Deo philosophatur: Solvit animæ calceamentum, ut purâ plantâ mentis terram sanctam, ubi conspicitur Deus, conscenderet. ℟. *Dixerunt Discipuli.*

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

Lectio

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio? ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

QUid putamus, ità eſſe dictum ſub modio, ut occultatio tantùm lucernæ accipienda ſit, tanquàm ſi diceret, nemo accendit lucernam, & occultat illam? An aliquid etiam modius ſignificat, ut hoc ſit ponere lucernam ſub modio, ſuperiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis: ut ideò quisque veritatem non prædicet, dum timet, nè aliquid in rebus corporalibus, & temporalibus moleſtiæ patiatur. ℟. *O beatum.*

Lectio VIII.

ET benè modius, ſive propter retributionem menſuræ, quia ea quiſque recipit, quæ geſſit in corpore, ut illic, inquit Apoſtolus, recipiat unusquisque, quæ geſſit in corpore; ſive quoniam temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum menſura & inchoantur, & tranſeunt, quam fortaſſe ſignificat modius: æterna verò & ſpiritualia nullo tali fine coërcentur; non enim ad menſuram dat Deus Spiritum. Sub modio ergò lucernam ponit, quiſquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obſcurat & tegit. ℟. *Martinus Abraha.*

Lectio IX.

Super candelabrum autem, qui corpus ſuum miniſterio

nisterio Dei subjicit, ut superior sit prædicatio veritatis, & inferior servitus corporis, per ipsam tamen corporis servitutem excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est, per vocem & lingvam, & cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur discentibus. Super candelabrum ergò ponit lucernam, cùm dicit Apostolus: Non sic pugno tanquàm aërem cædens, sed castigo corpus meum, nè fortè aliis prædicans, ipse reprobus inveniar. *Te Deum.*

Die XV. Septembris.

Quinta Die.

Infra Octav. S. MARTINI.

Semiduplex.

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

Lectio IV.

CHristum diligens, & gregem illius utique diligit: & Moysen tum primum super populum Judæorum posuit, quando, quâ esset in illum benevolentiâ, re ipsa jam declaraverat. David quoque simili modo regno inauguratus est, posteaquam apparuerat, quàm amico esset in populum affectu: ità quippe juvenis adhuc populi causâ doluit, ac zelavit, ut & animam suam exponeret, cùm videlicet barbarum illum è medio tollebat. Quod verò dicebat? quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interfecerit? non ideo dicebat, quod

merce-

mercedem exigeret, ſed quo ſibi crederetur, & in pugnam cum illo committeretur: Nam cùm adeptâ jam victoriâ ad Regem eſſet ingreſſus, nihil de mercede meminit. ℟. *Oculis & manibus.*

Lectio V.

ET Samuel quoque benignus erat, & amator populi: unde & dicebat: Abſit, autem hoc à me peccatum, ut ceſſem pro vobis orare Dominum. Ità & Paulus, imò non ità, ſed multò plùs omnibus ardeat erga ſubditos. Unde & diſcipulos ità erga ſe animavit, ut diceret: Si poſſibile fuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis, mihique dediſſetis. Et Chriſtus optimi paſtoris regulam proferens dixit: Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus: ſunt enim Sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non ſolùm erga domeſticos, ſed alienos, ità ut hanc ſuam manſuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea & ſapiens quiſpiam dixit: juſtus miſeretur animarum jumentorum ſuorum: ſi jumentorum, multò magis hominum. ℟. *Beatus Martinus.*

Lectio VI.

VErùm, quoniam pecorum mentionem feci, perpendamus & ovium paſtores illos, qui in Cappadocum regione ſunt, qualia & quanta pro pecorum ſuorum cuſtodia patiantur: illi ſæpè numero univerſum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in Lybia ſunt, non minora mala ferre, dum integros menſes difficilem illam ſolitudinem, peſſimarúmque beſtiarum plenam vagando circumeunt. Si tantùm ergâ

pecora diligentiæ impendunt pastores illi, quam, quæso, excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quòd profundum hunc somnum dormimus? An ignoras gregis dignitatem? An illius gratiâ Dominus tuus innumera non fecit? An non postremò & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quæris: & quid poterit pejus esse pastoribus istis? ℞. *Dixerunt discipuli.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neq; sub modio: sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant, Et reliqua.

De Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Serm. Domini in monte, lib. 2. c. 13.

SI oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: qui locus sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda, & placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione supernâ, fine illo charitatis: quia & plenitudo legis charitas. Oculum ergò hic accipere debemus ipsam intentionem, quâ facimus, quæ si munda fuerit, & recta, & illud aspiciens, quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundùm eam operamur, necesse est

bona

bona sint, quæ omnia opera, totum corpus appellavit. ℟. *O beatum virum.*

Lectio VIII.

NOn ergò, quid quisq; faciat, sed, quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis; quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere, quod facimus; omne enim quod manifestatur, lumen est: nam ipsa facta, quæ ad hominum societatem à nobis procedunt, incertum habent exitum, & ideò tenebras eas vocavit. Itaque si bono animo feci, quod mihi facerem, notum erat: & ideò lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, qualemcúnq; exitum habuerit; Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ sunt: lumen enim dicitur, quia novit quisque, quo animo faciat: sed ipsum lumen tenebræ sunt, quia ad inferiora declinatur intentio. ℟. *Martinus Abrahæ.*

Lectio IX.

SI ergò lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hoc est, ipsa si cordis intentio, quâ facis, quod facis, quæ tibi nota est, sordidatur appetitu rerum temporalium, atque cæcatur; quantò magis ipsum factum, cujus incertus est exitus, sordidum, & tenebrosum est? quia etsi benè alicui proveniat, quod tu non recta, & munda intentione facis, quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi provenerit. *Te Deum laudamus.*

Die XVI. Novembris.

Sexta Die.

Infra Octav. S. MARTINI.

Semiduplex.

Cum Com. S. Othmari Abbatis.

ORATIO.

SAncti Othmari Abbatis, Domine, tribue nos foveri supplicationibus, ut cujus venerabilem solennitatem celebramus obsequiis, ejus intercessionibus commendemur & meritis. Per Dom.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi.

ET homines quidem, qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent; nos verò, qui pro ipso cœlo certamen habemus, ipso quoq; die dormimus? quis quæso ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, nunquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem non solùm pastores, sed & oves audiant, ut alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verùm omnem obedientiam animúmque, cui persvaderi queat, exhibentes. ℟. *Oculis & manibus.*

Lectio V.

ITà Paulus præcipit dicens. Obedite ducibus vestris,

vestris, & subditi estote, nam ipsi vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem daturi. Quando verò dicit: nam ipsi vigilant; innumeros labores, curas, & pericula complectitur. Bonus enim Pastor, & talis, qualem Christus vult, innumeris certat martyriis. Propter ipsum quippe Christus semel quidem est mortuus, hic verò millies propter gregem, siquidem talis sit grex, qualem esse oportet. Talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea & vos, cognito isto labore, & precibus, & diligentia, & animi alacritate, & dilectione nos juvate, ut & nos vestra, & vos vicissim nostra gloriatio sitis. ℟. *Beatus Martinus.*

Lectio VI.

NAm ideo Christus illud Apostolorum summati, & plùs ipsum, quam reliqui, diligenti, commendans, & injungens primum rogabat, an ab ipso diligeretur, ut discas, quòd istud sit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum: strenuo siquidem animo hic opus est. Hæc verò mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de me ipso, & mei similibus: sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis S. Martinus: Istos itaque imitemur, & superiores, & subditi: licèt enim & subdito pro parte pastorem agere, nempe domûs suæ, amicorum, domesticorum, uxoris, liberorum. ℟. *Dixerunt discipuli.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Tractat. de praecept. & dispensat.

SI oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Ut interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria; charitatem in intentione, & in electione veritatem: nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam. Nescio quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra Veritas: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Praemisit prudentiam, sinè qua neminem satis esse posse simplicem sciret. ℟. *O beatum virum.*

Lectio VIII.

QUomodo deniq; verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim ignorans ignorabitur. Caeterùm, sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona, amor boni, & cognitio veri: sic nequam oculum duo è regione mala constituunt, caecitas, quâ fit, ut veritatem non agnoscat; & perversitas, quâ fit, ut diligat iniquitatem. Secundùm hoc duplex

plex malum, & illud item geminum bonum, quadrifariam dividamus oculum cordis, in bonum & meliorem, in malum, & pejorem. ℟. *Martinus Abrahæ.*

Lectio IX.

Pro S. Othmaro.

OThmarus Alemannus Cellulæ, in eremo à S. Gallo exſtructæ, à Valdramno ſylvæ Domino Præfectus & Abbas conſtitutus, leproſis & aliis mirificè deſervivit; nudum etiam ut tegeret, pallio proprio ſe ſpoliavit, & 70. argenti libras ſibi à Pipino Rege donatas, erogavit pauperibus: Cùm verò Uvarinus & Ruadhardus per Germaniam potentes S. Galli poſſeſſiones in ſuum peculium tranſtuliſſent, & beatum Othmarum, criminatore Lamberto, ſtupri accusâſſent, Vir ſanctiſſimus diu conticuit, tandem ſecreti ſui inſpectorem Deum, invocat teſtem: & accuſator quidem pœnas dedit: ipſe nihilominùs abductus in Villam Potamum, noctu à fratrum ſuorum quodam alebatur: Gozbertus verò Vir nobilis ſuæ fidei traditum ad Inſulam Rheniſtein tranſtulit, ubi in liberiori cuſtodia Deo vacans migravit in cœlum. *Te Deum.*

Die XVIII. Novembris.

In Octav. S. MARTINI.

Duplex.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Sermo S. Gregorii Papæ. 2. p. pastor. cap. 1.

TAntùm debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantùm distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicitè studeat, quantâ tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergò necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorũ solicitudine non relinquens. ℟. *Oculis & manib.*

Lectio V.

COnsiderandum quoque est, quia cùm curam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergò adhuc in ejus corpore passiones vivunt, quâ præsumptione percursum mederi properat, qui in facie vulnus portat? ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit: qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens nec omnino per imbecilitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus.

Qui

Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. ℟. *Beatus Martinus.*

Lectio V I.

UNde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione diffinitur, cùm dicitur: si quis Episcopatum desiderat: bonum opus desiderat: ipse ergò sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solùm non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat; rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergò lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant. ℟. *Dixerunt discipuli.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homil. S. Joannis Chrysostomi in Matth. homil. 21.

LUcerna corporis tui est oculus tuus: quod oculus corpori, hoc intellectus est animæ, ut enim nequaquam optes auro ornari, veste sericâ conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum procul dubio sanitatem desiderabiliorem rebus

 omni-

omnibus judicares: quæ si tibi certè depereat, nihil te jam tota vita delectat; quantò magis pro oculis debes mentis efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, omnia jam membra in miseria versantur, ac tenebris, ità etiam mente cæcatâ, innumeris prorsus malis hominum vita cumulatur. ℟. *O beatum virum.*

Lectio VIII.

QUemadmodum igitur in corpore hoc maximè providemus, ut oculos habeamus incolumes; sic etiam in anima intellectûs conservemus salutem, si verò cæcamus istum, quo aliis quoque debemus lumen inferre, unde jam ipsi poterimus aspicere? sicut enim, qui caput ipsum fontis obstruxit, totùm simul exsiccavit & fluvium: sic etiam qui oculum mentis, tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus unâ confusione cæcavit; propter quod ait: si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt. ℟. *Martinus Abrahæ.*

Lectio IX.

QUando enim lucerna extingvitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem obedientibus supererit spes salutis? propterea nunc quidem omisit dicere eas, quæ divitiis tenduntur, insidias, lites videlicet ac pugnas, sed ponens his omnibus sæviora, & quæ absque dubio semper accidunt, à maligna concupiscentia liberat audientes: etenim multò horribiliùs est,

eſt, mentem huic ægritudini emancipare, quàm carceris ſquallore macerari. Dedit enim nobis intellectum Deus, ut ignorantiam fugemus è mentibus, ut rectum teneamus, juſtúmque judicium. *Te Deum laudamus.*

Die XX. Novembris.

IN FESTO

S. FELICIS de Valois

Confeſs. *Duplex.*

In Veſp. ad hymn. Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores.

ORATIO.

DEus qui beatum Felicem Confeſſorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cœlitus vocare dignatus es; præſta quæſumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum noſtrorũ captivitate, ejus interceſſione liberati, ad cœleſtem patriam perducamur. Per Dominum noſtrum.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

FElix, Hugo antea dictus, ex regali Valeſiorum familia ortus in Gallia, ab ineunte ætate, non levia dedit futuræ ſanctitatis indicia, præſertim miſericordiæ erga pauperes; nam adhuc infantulus manu propria, ac ſi grandior eſſet, & judicii maturitate polleret, numos egenis diſtribuit. Jam grandiuſculus ſolebat ex appoſitis in menſa dapibus

bus ad ipsos mittere, & fermè eo, quod sapidius erat, obsonio pauperculos pueros recreabat. Adolescens non semel vestibus se spoliavit, ut inopes cooperiret. Ab avunculo Theobaldo Campaniæ, & Blesii comite vitam reo mortis impetravit, prædicens hunc infamem hactenus sicarium, mox sanctissimis præditum moribus evasurum, veridicum testimonium monstravit eventus. ℟. *Honestum fecit.*

Lectio V.

POst exactam laudabiliter adolescentiam cœpit ex cœlestis contemplationis studio solitudinem cogitare, priùs tamen voluit sacris initiari, ut omnem regni, à cujus successione, jure legis Salicæ, non longè distabat, spem sibi procideret, Sacerdos factus, & primâ Missâ devotissimè celebratâ, non multò post in eremum secessit, ubi summâ abstinentiâ victitans cœlestiũ charismatum abundantiâ pasceretur. Ibi cum S. Joanne de Matha Parisiensi Doctore, à quo ex Divina inspiratione quæsitus, & inventus, per aliquot annos sanctissimè vixit, donec ambo per Angelum à Deo admoniti Romam petierunt, specialem à Summo Pontifice vivendi regulam impetraturi. Facta igitur Innocentio Papæ tertio inter Missarum solemnia revelatione Religionis & instituti deredimendis captivis ab ipso Pontifice, simul cum socio, candidis vestibus bicolori cruce signatis induitur, ad eam formam, quâ Angelus indutus apparuit; & insuper voluit Pontifex, ut nova Religio

gio juxta triplicem colorem, quo habitus constat, SS. Trinitatis titulo decoraretur. ℟. *Amavit.*

Lectio VI.

Regula propria ex Summi Pontificis Innocentii confirmatione accepta, in Diœcesi Meldensi, apud locum, qui Cervus Frigidus dicitur, primum Ordinis paulo antè à se, & Socio extructum Cœnobium ampliavit: ubi Religiosam observantiam, & Redemptoris institutum mirificè coluit, ac inde per alumnos in alias Provincias diligentissimè propagavit. Illustrem hic à Beata Virgine Matre favorem accepit: dormientibus siquidem cunctis fratribus, & ad matutinas preces in pervigilio Nativitatis Deiparæ, media nocte recitandas, Deo sic disponente, non surgentibus, Felix de more vigilans, & horas proveniens, Chorum ingressus reperit Beatam Virginem in medio chori, habitu Cruce Ordinis insignito indutam, ac cœlitibus similiter indutis sociatam. Quibus permixtus Felix: præcinente Deipara, Laudes Divinas concinuit, ritéque persolvit. Et quasi jam à terrestri ad cœlestem chorum evocaretur, instantis mortis ab Angelo certior factus, filios ad charitatem erga pauperes, & captivos adhortans, animam Deo reddidit, ætate, ac meritis consummatus, anno post Christum natum ducentesimo duodecimo supra millesimum, sub eod. Pontifice Innocentio Tertio.

In III.

In III. Nocturno.

Homil. Ven. Bedæ Presb. in Evang. Nolite timere pusillus grex: *de Comuni Confess. non Pontif.*

Missa. Justus ùt palma.

FESTA DECEMBRIS.

Die I. Decembris.

De Octav. S. ANDREÆ.

Semiduplex.

In II. Nocturno.

Sermo S. Petri Chrysologi. serm. 133.

Lectio IV.

BEatus Andreas meritò natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex utero, sed conceptu fidei, martyrii partu, cœlestem noscitur generatus ad gloriam; quando non eum materna cunabula suscepêre vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt; quando non infirmum lactis pastum genitricis traxit ex pectore, sed pro rege suo devotissimus miles virtutis sangvinem fudit. Vivit, quia mortem cœlestis militiæ bellator occidit. ℟. *Homo Dei.*

Lectio V.

SEquitur hic moriendo Dominum æstuans, & anhelans: ac toto virtutis gradu dominicis incum-

cumbit hærere vestigiis, nè eum cursus faciat disparem fratri quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad unam vocem Domini, sicut ille patrem, patriam, censum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, Christi indefessè germani societate donavit: Solum est, quod tempore Dominicæ Passionis fugit; sed neque hoc impar, quia fugit: negare autem si aliqua putatur culpa, non est gravius fugere, quàm negare: sed tacenda sunt alia; æquavit fratres venia, quos sic discreverat culpa. ℟. *O bona Crux.*

Lectio VI.

CRucem, quam refugerant, postea conjunctis viribus ardenter invadunt, ut, unde reatum sumpserant, inde conscenderent cœlum, inde prœmium sumerent & coronam. Petrus namq; crucem, arborem conscendit Andreas: ut qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram, formámque ipsius exprimerent passionis: & redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster, etsi cedit ordini, præmio tamen non cedit, & labori. ℟. *Expandi manus.*

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Ho-

De Homilia S. Gregorii Papæ.

MUltum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur etiam cùm quosdam conspicit multa reliquisse; apud semetipsum dicat: Imitari mundi hujus contemptores volo, sed quod relinquam, non habeo. Multum, fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renunciatis. ℟. *Oravit sanctus.*

Lectio VIII.

EXteriora etenim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt: cor namque & non substantiam pensat: nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri perpetuam Angelorum vitam datis retibus, & navi, mercati sunt. Æstimationem quippe pretii non habet: sed tamen regnum Dei tantùm valet, quantùm habes. ℟. *Videns Cruc.*

Lectio IX.

VAluit namque Zachæo dimidium substantiæ: quia dimidium aliud ad hoc, quod injustè abstulit, restituendum in quadruplum reservavit. Valuit Petro, & Andreæ, dimissis retibus, & navi. Valuit viduæ duobus minutis. Valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Regnum itáque Dei, ut diximus, tantùm valet, quantùm habes. *Te Deum.*

Die

Die IV. Decembris.
IN FESTO
S. BARBARÆ Virg. & Mart. Duplex.

Omnia de Com. Virginum: com. Oct. S. Andr. Apost. & Adventûs in utrisq; Vesperis & Laudibus.

ORATIO.

PORrige, misericors Deus, clementiam tuam nobis devotè supplicantibus, ut qui beatæ Barbaræ Virginis, & Martyris tuæ commemoratione gratulamur, virtute illius ad promerendam delictorum veniam gubernemur. Per Dominum.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

BArbara Virgo Nicomediensis, ob insignem corporis elegantiam à Dioscoro patre, nobilissimo viro, in turrim inclusa, ab omnium oculis arcetur, ubi multa piè secum, religioseque meditata, tanto Christianæ Religionis, & servandæ castitatis amore exarsit, ut non modò nuptias à patre oblatas respueret, verùm etiam se Christum colere professa, nefarium idolorum cultum magnâ libertate perstringeret. ℞. *Propter veritatem.*

Lectio V.

DIoscorus verò hac filiæ constanti confessione adeò excanduit; ut eam Præsidi Marchiano, nisi à proposito desisteret, excruciandam tradiderit. Is illam primùm blanditiis, propositis etiam

præmiis & honoribus, ad paternæ ſuperſtitionis cultum conatus eſt adducere. Cùm verò à fidei conſtantia nullis verborum illecebris abduci poſſet, omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur. Nervis enim bubalis graviſſimè cæſa, in obſcuriſſimum carcerem detruditur: ubi, etſi omni humanâ ope deſtituta, divinitùs tamen curata eſt. ℟. *Dilexiſti juſtitiam.*

Lectio VI.

QUod, ubi ſenſerunt Chriſtianæ fidei hoſtes, eò furoris atque dementiæ progreſſi ſunt; ut in eam, & carceris maceratione, & lampadum aduſtione, & mammillarũ præciſione, omnem ſuam crudelitatem deprompſerint. Neq; tamen his contentus Dioſcorus, paternæ charitatis prorſùs oblitus, propriâ manu filiæ caput amputare non dubitavit. Cujus anima in cœlum, ad duplicem virginitatis & martyrii palmam, evolavit. ℟. *Afferentur.*

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium. Simile eſt regnum cœlorũ decem Virginibus.

Die V. Novembris.

Die Sexta.

Infra Octavam S. ANDREÆ

Semiduplex.

Cum Comm. fer. & S. Sabbæ Abb.

In II.

In II. Nocturno.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Lectio IV.

BEati Andreæ Apostoli solemnitas hodie celebratur: quam, si pia sollicitudine perscrutemur, multa inveniemus in ea, quæ ædificent animas nostras. In ipso siquidem conversionis suæ initio magnũ nobis perfectæ obedientiæ præstat exemplum; quod quidem Christianis omnibus necessarium. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me: faciam de piscatoribus piscatores: imò prædicatores. At illi continuò nihil dijudicantes, aut hæsitantes, nihil interrogantes, sinè omni mora relictis retibus & navi secuti sunt eum. ℟. *Homo Dei.*

Lectio V.

AGnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur; ut discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Sola est charitas, quæ obedientiam gratam facit, & acceptabilem Deo. Hilarem quippe datorem diligit Deus: & item: Si tradidero, inquit, corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. ℟. *O bona crux.*

Lectio VI.

VUltis, ut de ipsa quoque Beati hujus Apostoli passione, quam nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Christi, & ædificatio-

nem vestram? Audistis certè, cùm pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, & per Spiritum, quem una cum ceteris Apostolis in igneis lingvis acceperat, verba verè ignea loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquá (ùt exigere videtur mortalis infirmitas) facies ejus expalluit: non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit, ut assolet, intellectus. ℟. *Expandi manus.*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex homil. 14. in Matth.

ET Joannes quidem aliter dixit eos vocatos: Unde manifestum est, secundam hanc vocationem fuisse, idque ex multis rebus ostenditur. Nam ibi quidem dicit, quòd ad Christum, antequam Joannes in carcerem duceretur, accesserint; hic verò, quòd Jesus ambos vocet; & Joannes quidem ait, quòd Jesus venientem ad se Petrum videns, dicit: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas; Matthæus verô asserit, quòd isto jam nomine vocaretur. ℟. *Oravit sanctus.*

Lectio

Lectio VIII.

SEd à loco etiam, quo vocati sunt, aliisq; multis id scire possibile est, & ab eo, quò facilè obedierunt vocati, suáque omnia reliquerunt. Erant quippe sufficienter jam ante prædocti, & ibi quidem Andreas in domum veniens, multáq; à Christo audiens invenitur: hic verò unum audientes, nudúmque verbum, confestim sequuntur. Videtur quippe fuisse consequens, ut priùs quidem audierint & secuti sint: postea verò cùm & Joannem in carcere ligatum, & ipsum secessisse vidissent, reliquisse eos magistrum, atq; ad artem propriam revertisse. Sic denique piscantes eos rursus invenit. ℟. *Videns crucem.*

Lectio IX.

PErpende verò & fidem & obedientiam vocatorum, & cognosces, quàm dulcis sit piscatio: siquidem in medio ipsius operis constituti, cùm illum audissent jubentem, nihil distulerunt, nihil omninò cunctati sunt: non dixerunt, revertemur domum, loquemur propinquis, sed cuncta illicò relinquentes fecerunt, quod Elisæus quoqne sub Elia legitur implêsse. Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat, ut neque punctum temporis differamus, si nos aliquid necessarii urgere videatur. *Te Deum laudamus.*

Die VII. Decembris.

In Octava S. ANDREÆ Apost.

Duplex.

In II. Nocturno.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

In Vigil. S. Andr. in med.

Lectio IV.

QUanta exultatione universæ terræ celebrandum tantæ novitatis miraculum, tam magnificum opus divinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritûs crucem sitiebat, tam inaudito à sæculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset. O crux, inquit, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ità ut & tu exultans suscipias me. Videtis, quia non se capit præ magnitudine gaudii, ità, inquit, ut & tu exultans. ℟. *Homo Dei.*

Lectio V.

ERgóne tanta est exultatio, ut exultet & ipsa crux, nec lethi quicquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minùs, contra consuetudinem, supra rationem; ultra, naturam; crucifixum exultare, quàm crucem: illi sensum lætitiæ natura negavit, huic, si quid prævalet gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, & si lingua, certè ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus ejus. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumentes, & exurentes quicquid in nobis est carnalis affectionis. ℟. *O bona crux.*

Lectio VI.

PLanè, beate Andrea, granum ſinapis eſt fides tua, quæ tam inſperatum, ubi teri cœpit, cœpit ex ſe proferre fervorem: quid ſi paulò amplius tereretur? Quis fervorem illum animus, quis verba illa ſuſtinere poſſet auditus? Terendum eum putat Ægeas crucis ſupplicium minitans, ſed non eſt ità. Accenditur magìs in verbo hoc, & liberè clamat: Ego ſi patibulum crucis expaveſcerem crucis gloriam non prædicarem. Meritò proindè crucis amatorem venerantur, quicunque ſunt ſervi crucis: ſed ab his ampliorem jure devotionem exigit, qui ſpecialiùs propoſuerunt tollere crucem ſuam. ℟. *Expandi manus.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Ambulans Jeſus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri. *circa med.*

COngruè de piſcatoribus piſcium, piſcatores hominum facere voluit, quia ſicut officium eſt piſcatoris navem aſcendere, retia manibus tenere, & de profundis gurgitibus piſces ad littus trahere: ſic iſti in gremio Eccleſiæ recepti navem fidei aſcendentes, retia prædicationis in verbo, & opere habentes de amariſſimis, & tenebroſis mundi gur-

di gurgitibus multos homines ad veram lucem traxerunt, Vide Beatum Andream in Achaja retia in manibus tenentem, & multos pisces spiritaliter capientem. Non solùm enim tota civitas, sed etiam tota regio credidisse legitur, sicut ipse ait: Christus me misit ad istam provinciam: ubi non parvum populũ acquisivi. ℟. *Oravit sanctus.*

Lectio VIII.

SEd libet intueri, quòd non frustra Dominus in prima sua vocatione quatuor discipulos elegit, quaternarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus divisus, perfectionem significat: vel propter quatuor principales virtutes, nempe prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & justitiam. Has virtutes non solùm in numero, sed etiam in nominibus isti discipuli significant. Petrus enim, qui à quibusdam agnoscens interpretatur, prudentiam significat. Andreas, qui virilis interpretatur, fortitudinem significat: quam virtutem non solùm in nomine, sed etiam in opere habuit, quia in fide recta usque ad passionem viriliter perseveravit, in tantum, ut etiam, cùm duceretur ad crucifigendum, videns crucem cum gandio diceret, Salve crux pretiosa. ℟. *Videns Crucem.*

Lectio IX.

PEr Jacobum, qui interpretatur supplantator, justitia designatur, quæ iniquitatem supplantare, & æquitatem novit diligere: & Joannes qui interpretatur gratia Dei, vel in quo est gratia, temperantiam designat, quæ alio nomine discretio

voca-

vocatur, & eſt mater omnium virtutum. Cùm ergò Dominus in prima ſua vocatione quatuor diſcipulos ſuos elegit, in ipſo numero nobis innotuit; quia ſi ejus diſcipuli eſſe volumus, has quatuor virtutes habere debemus. *Te Deum.*

Die VIII. Decembris.
IN FESTO CONCEPTIONIS B. Mariæ Virg. *Duplex.*

Omnia ut in Breviario, cum com. feriæ Advent.

Die IX. Decembris.
Secunda Die.

Infra Octav. Concept. B. M. V.
In II. Nocturno.

De Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.
Serm. 18. de Sanctis, in medio.
Lectio IV.

EXultat Maria, & matrem ſe læta miratur, & de Spiritu ſancto ſe peperiſſe gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: ſed quia genuerit, cum exultatione miratur. O fœmina ſuper fœminas benedicta, quæ virum omninò non novit, & virum ſuo utero circumdedit! Circumdat virum Maria, Angelo fidem dando; quia Heva perdidit virum, ſerpenti conſentiendo. O felix obedientia! ô inſignis gratia! quæ dum fidem humiliter

 dedit,

dedit, cœli in se opificem corporavit! Hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodùm auxit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℟. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. ℣. Hodie concepta est beata Virgo ex progenie David. Cujus vita.

Lectio V.

O Beata Maria, quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invênit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℟. Cum jucunditate Conceptionem Beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ℣. Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis D E I Mariæ. Ut ipsa.

Lectio VI.

SIt per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe

cipe, quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus: quia tu es ſpes unica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum; & in te, beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.

℟. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo: * Ex te enim ortus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: Qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam ſempiternam. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria. Qui ſolvens.

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

LIber generationis JEſu Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Com̄ent. in Matth. in initio.

IN Iſaia legimus: Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus, Evangeliſtam Prophetæ eſſe contrarium, ut quod ille impoſſibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de genera-

neratione divinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, ut per hominem, Deum discere incipiamus. Filii David, filii Abraham. Ordo præposterus, sed necessariò commutatus. Si enim primùm posuisset Abraham, & posteà David, rursus ei rependendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio VIII.

In Deo autem cæteris prætermissis, horum filium nuncupavit; quia ad hos tantùm facta est de Christo repromissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Unde & in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabée uxor Uriæ.

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœ-

to fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Conceptionem. Quia. Gloria. Chriſtus.

Lectio IX.

JAcob autem genuit Joſeph. Hunc locũ objecit nobis Julianus Auguſtus de diſſonantia Evangeliſtarũ, cur Evangeliſta Matthæus Joſeph dixerit filium Jacob, & Lucas eum filium appellârit Heli: non intelligens conſvetudinem Scripturarũ; quod alter ſecundùm naturam, alter ſecundùm legem ei pater ſit. Scimus enim hoc per Moyſen, Deo jubente, præceptum, ut ſi frater aut propinquus abſque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem, ad ſuſcitandum ſemen fratris vel propinqui ſui. Joſeph virum Mariæ. Cùm virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum: ſed recordate conſvetudinis Scripturarum, quòd ſponſi viri, & ſponſæ vocentur uxores. *Te Deum.*

In Laudibus fit commemor. Feriæ; cui in Veſperis additur S. Melchiadis Papæ & Martyris.

Die X. Decembris.

Tertia Die.

Infra Octavam. *Semiduplex.*

Cum Com. fer. & S. Melchiadis P.M.

In II. Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Lectio IV.

NOvum fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium, quàm Chri-

ſtum, de quo dicitur: Ecce Vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier ſole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua. Verùm hoc aliàs. Interim ſanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius ſuus in capite, inquit, ejus corona ſtellarum duodecim. ℟. *Conceptio glorioſæ.*

Lectio V.

DIgnum planè ſtellis coronati caput, quod & ipſis longè clariùs micans, ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera, quam ſol veſtit? Sicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Nimirùm læva Sponſi ſub capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas, quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? ℟. *Cum jucunditate.*

Lectio VI.

QUid ergo ſidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex Regibus orta, quòd ex ſemine Abrahæ, quòd geneроſa ex ſtirpe David. Si id parum videtur: adde, quòd generationi illi, ob ſingulare privilegium ſanctitatis, divinitùs noſcitur eſſe conceſſa: quòd longè ante eiſdẽ patribus cælitùs repromiſſa: quòd myſticis præfigurata miraculis: quòd oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim ſacerdotalis virga, dum ſinè radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ

areæ maduit: hanc in Ezechielis viſione Orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præſignabat. ℞. *Conceptio tua.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

LIber generationis JEſu Chriſti, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Epiſcopi.

Comment. in Matth. c. 1.

NOn refert, quis in originis numero, atq; ordine collocetur, dumodò univerſorum familia cepta eſſe intelligatur ab uno. Itaq; cùm ejuſdem tribûs ſint Joſeph, & Maria, dum profectus eſſe ex Abrahæ genere Joſeph oſtenditur, profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio ſervata eſt, ut, ſi mortuus ſinè filiis familiæ princeps fuiſſet, defuncti uxorem poſterior frater ejuſdem cognationis acciperet, ſuſceptosq; filios in familiam ejus, qui mortuus eſſet, referret: maneretq; ità in primogenitis ſucceſſionis ordo, cùm patres eorum, qui poſt ſe nati eſſent, aut nomine haberentur, aut genere. ℞. *Beatam.*

Lectio VIII.

SEquens illud eſt, ut, quia diximus ſecundùm rerum fidem generationis iſtius ordinem, nec numero ſibi, nec ſucceſſione conſtare, hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis cauſa eſt, ut aliud narratione ſit, aliud fuerit in geſtis; & aliud refe-

referatur in summa, aliud verò teneatur in numero. Namq; ab Abraham usque ad David, quatuordecim generationes numeratæ sunt: & à David usque ad transmigrationem Babylonis, in quibusdam libris decem & septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacii, aut negligentiæ vitium est; tres enim ratione præteritæ sunt. Nam Joras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Joam, Joas deinde Amaziam, Amazias autem Oziam: & in Matthæo Joras Oziam genuisse scribitur: cùm quartus ab eo sit: Hoc itâ, quia ex gentili fæmina Joras Ochoziam genuit, ex Achab scilicet, qui Jezabel habuit uxorem. ℟. *Felix namq;.*

Lectio IX.

DEnique per Prophetam non nisi quarta generatione in throno regio Israëlis quemquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgatâ igitur labe familiæ gentilis tribûs; quæ præteritis jam regulis, in quarto generationum consequentium ordine numeratur, & usq; ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cùm in numero decem & septem reperiantur, nullus error esse poterit scientibus, non eam solùm esse Domino nostro Jesu Christo originem, quæ cæpit ex Maria: sed in procreatione corporea, nativitatis æternæ significantiam comprehendi. *Te Deum.*

Die XII. Decembris.

Quinta Die.

Infra Octavam *Semidupl. Com. fer.*

In II.

In II. Nocturno.

Ex lib. S. Epiph Ep. *adversùs hæreses.* *Lectio IV.*

BEata Mater Dei Maria per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur. Illa etenim mater viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, & in terram reverteris, post transgressionem, & mirum est: quod post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Eva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, & fieret Maria mater viventium appellata est. ℟. *Conceptio gloriosa.* *Lectio V.*

EVæ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: Mariæ verò datum est à Deo, ut pareret nobis Agnum & ovem, & ex gloria ipsius Agni, & ovis fieret nobis velut à vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Eva etiam mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum. Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius Dei advenit in mundum: & ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit & gratia: & unde illata est mors, illinc processit & vita, ut vita pro morte fieret qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Eva, cùm adhuc esset virgo, per inobedientiam transgressa est: è contrario per Virginem obedi-

entia gratiæ facta est, annuntiatio adventu in carne de cœlo, & vita æterna. ℟. *Cum jucunditate.*

Lectio VI.

DE Maria accipitur (licet mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia: Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apostolus dicit: Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Et vide Scripturarum accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formavit: de Eva verò non formatam esse, sed ædificatam: Accepit enim, inquit, unam de costis ejus, & ædificavit ipsi in uxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformâsse sibi ipsi corpus, ab ipsa verò costa ædificatam esse Ecclesiam, in eo, quòd punctum & apertum est ipsius latus, & mysteria sangvinis & aquæ, pretia redemptionis facta sunt. ℟. *Conceptio tua.*

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundùm Matth. Lectio VII.

LIber generationis JEsu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, &c.

De Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 2. in Matth. post init.

AUditu quidē mirabile est, quod ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, Patriq; per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores David & Abraham: & quid dico, David & Abra-

ham

ham. Etiam illas, quod magìs stupendum est, fœminas, quas paulò ante memoravi. Hæc igitur audiens mente consurge, nihilq; humile suspicêris, sed potiùs propter hoc ipsum maximè mirare, quia cùm verus, & dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam filius David esse dignatus est, modò ut te filium faceret Dei: servum patrem habere dignatus est, ut tibi servo patrem faceret ipsum Deum. ℞. *Beatam me dicent.*

Lectio VIII.

Vides ab ipso statim principio, quàm læta sint hæc nuntia. Quod si ambigis de his, quæ ad tuum spectant honorem, ab iis, quæ illius sunt, etiam tuam disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multò est difficiliùs Deum hominem fieri, quàm hominem Dei Filium consecrari. Cùm ergò audieris, quia Filius Dei, filius sit & David & Abrahæ; dubitare jam desine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim semetipsum ità humiliâsset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundùm carnem, ut tu nascerêre spiritu: natus ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. ℞. *Felix namq;.*

Lectio IX.

PRopterea duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quod enim natus ex fœmina est, & nobis competit: quod verò non ex voluntate carnis, & viri, sed ex Spiritu sancto, aliam nobis sublimiorẽ, futurámque, & spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoq; omnia ex simili diversitate constabant. Nam & baptisma profectò

tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet & novi: quod enim baptizatus est à Propheta expressit vetus: quod autem descendit Spiritus, adumbravit novum. *Te Deum.*

Die XIV. Decembris.

Septima die infra Octav. *Semid.*

In II. Nocturno.

Ex Epistola S. Ambrosii Ep. ad Siricium Papam.

Epist. 81. al. 7. post init. Lectio IV.

DE via perversitatis produntur dicere, Virgo concepit, sed non virgo generavit. Potuit ergò virgo concipere, non potuit virgo generare, cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorũ dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorũ, quod Ecclesia Romana intemeratũ semper custodit & servat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? Non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundùm verbum tuum. ℟. *Conceptio.*

Ex lib. S. Hieron. Presb. *adversùs Jovinian. Lectio V.*

CHristus virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater & virgo; Jesus enim clausis ingressus est ostiis: & in sepulchro ejus, quòd novum, & in petra durissima fuerat excisũ, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus: de quo fonte ille fluvius manat juxta Joël, qui irrigat torrentem vel funiũ, vel spinarũ: funium peccatorũ, quibus ante alligabamur: spinarũ, quæ suffocãt sementem patrisfamilias. Hæc est porta orientalis, ùt ait Ezechiel, semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum; per quam sol justitiæ, & Pontifex noster secundùm ordinem Melchisedech ingreditur, & egreditur. ℟. *Cum jucunditate.* Ex

Ex lib. S. Irenæi Ep. & M. *Adverſ. hæreſ. l. 5. c. 9.*

Lectio VI.

IN ſua propria veniente Domino, & ſua propria bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipſo, & recapitulationẽ ejus, quæ in ligno fuit inobedientiæ: per eam, quæ in ligno eſt, obedientiam faciente, & ſeductione illa ſoluta, quâ ſeducta eſt malè illa, quæ jam viro deſtinata erat, virgo Eva: per veritatem evangelizata eſt benè ab Angelo jam ſub viro virgo Maria. Quemadmodùm enim illa per angelicum ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævacaricata verbum ejus: ità & hæc per Angelicũ ſermonem evangelizata eſt, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hæc ſvaſa eſt obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodùm adſtrictum eſt morte genus humanum per virginem; ſolvatur per virginem; æquâ lance diſpoſita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. ℟. *Conceptio tua.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matth. Lectio VII.

LIber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob. Et rel.

De Homilia S. Joannis Chryſoſtomi.

CUjus verò rei gratiâ librum ipſum generationis Chriſti vocat, ubi non ſola utiq; generatio, ſed tota prorſus, ipſius myſterii diſpenſatio continetur? Quia totius ſcilicet diſpenſationis caput, radix atq; principium omnium nobis in hoc conſiſtit bonorũ. Ut enim Moyſes librum cœli appellavit, ac terræ, cum certè non de cœlo ſolùm, terráque loqueretur, ſed de cunctis, quæ inter ipſa ſubſiſtunt: ità etiam Evangeliſta ab ipſo omnium fonte, & capite bonorum, librum vocavit. ℟. *Beatam.*

Lectio VIII.

QUa verò de cauſa non eum ante filiũ Abrahæ, & poſtea filium David nuncupavit. Non, ſicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad ſuperiora conſcendere; cæterũ

fecisset, quod fecit & Lucas; nunc autem è contrario facit: Cur ergò commemoravit priorem David? Quia ipse procùl dubiò in omniũ vocabatur ore, ob insigne honoris & gloriæ, ob ipsius quoq; temporis spatia junctiora. Etsi enim utriq; promiserat Deus; sed tamen illud quasi antiquum reticebatur: hoc verò quasi novum, & recens ab omnibus celebrabatur. ℟. *Felix.* *Lectio IX.*

IPsi namq; Judæi dicunt: nonnè ex semine David, & Bethlehem castello, unde erat David, venit Christus Nemo igitur illum filiũ Abrahæ, sed omnes filium David? nominabant: qui etiam honorabiliores quosq; de sanctitate Reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solùm, verùm etiam Deus. Nam & Ezechiel, & alii Prophetæ dicunt, David surrecturum esse, atq; venturum non de illo utiq; mortuo jam loquentes: sed de iis, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore persona sumit exordium, & tum demùm ad antiquiorem recurrit parentem. *Te Deum laudamus.*

Die XV. Decembris.

In die Octava Conceptionis B. V. M.

Duplex. cum Com. fer. & S. Eusebii Ep. M.

In II. Nocturno.

De Expositione S. Gregorii Pp. in libros Reg. *In 1. Reg. 1.*

Lectio IV.

FUit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine, beatissima semper Virgo Maria, Dei genitrix, designari. Mons quippe fuerit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: erit in novis-

simis

ſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montiũ fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit. ℟. *Conceptio.*

Ex Epiſtola S. Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam.

Epiſt. 3. ante med. Lectio V.

SAcramentum reconçiliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum, nullæ implebant figuræ: quia nondum ſupervenerat Spiritus ſanctus in Virginem, nec virtus Altiſſimi obumbraverat ei, ut & intra intemerata viſcera, ædificante ſibi Sapientia domũ, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma ſervi in unam conveniente perſonam, Creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim novus homo, factus in ſimilitudinem carnis peccati, noſtram ſuſciperet vetuſtatẽ; & conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignaretur & Matri: naturámq; ſibi noſtram ſolus â peccato liber uniret: ſub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas. ℟. *Cũ jucund.*

De Expoſitione S. Baſilii Ep. in Iſaiam Prophetam.

In cap. 8. poſt init. Lectio VI.

ACceſſi, inquit, ad Prophetiſſam, & in utero accepit, & peperit filium. Quod Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem Suiritûs, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu elocuta eſt; Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpIritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes. Quòd ſi animum accommodaveris univerſis ejus verbis: non utiq; per diſſidiũ negaveris eam fuiſſe Prophetiſſam, quòd Domini Spiritus in eam ſupervenerit, & virtus Altiſſimi obumbraverit ei. ℟. *Conceptio tua.*

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII.

LIber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Iſaac. Et reliqua.

De Homilia S Joannis Chrysostomi.

DUo sunt, quæ pariunt quæstionem. Unum, quæ causa sit, ut in generationum catalogo Virgo sileatur; alterũ verò, qua ratione Joseph memoretur, cui certè nihil cum Christi generatione est comũne. Videtur enim & unum abundare, & alterum deesse. Quid ergò dicemus; Quod utiq; primùm illud necesse fuerit memorari, quemadmodùm ex David Virgo descenderit. Unde hoc itáq; discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo & familia David. Quid vis audire manifestiùs, cùm ex domo & familia David illam virginem esse cognoscas? ℟. *Beatam.*

Lectio VIII.

NOn erat mos apud Hebræos generationum catalogum per fœminas texere. Ut ergò & morem custodiret, ne in ipso statim principio videretur antiqua destruere, & nobis Virginem certiùs indicaret; parentes ejus reticens atq; majores, de Joseph generatione non tacuit: sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam; sive Joseph reticuisset, non agnoscemus, ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo & nos discerneremus, quæ esset Maria, vel unde, & consvetudo legis maneret imobilis; generationum catalogum usq; ad Sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit. ℟. *Felix namq;.*

Lectio IX.

HOc enim declarato, illud quoq; pariter ostendit, quòd, scilicet inde esset & Virgo: quia utiq; nequaquam justus iste pateretur uxorem sibi aliunde, quàm unde lex præcipiebat, eligere. Possumus verò aliam quoq; & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermissi sunt: sed quæ ea est. Noluit Evangelista, recenti adhuc tempore novi illius, admirandíq; partûs, Judæis esse manifestũ, quòd Christus natus fuisset ex Virgine. Néq; proprius noster hic sermo est; sed à nobis de Patrum, atq; insignium virorũ traditione susceptus.

Te Deum laudamus.

Officium S. Gabrielis Archangeli

Dupl. majus a SS. D. Innocentio XI Regn. Rom. Aug. Imperatoris Leopoldi concessum pro die 24 Martij.

Ad Vesperas.

Antiph. Ingresso Zacharia &c. cum reli: de l. Dixit Dns: in loco ult. ps: Laudate Dnum:

Capitulum.

Ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio cito volans tetigit me, in tempore sacrificij vespertini et docuit me: et locutus est mihi, et dixit. Daniel nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

Hymnus.

Xre sctorum decus Angelorum: Gentis humanae Sator et Redemptor Coelitum nobis tribuas scandere sedes:
Angelus Pacis Michael in aedes Coelitus nras veniat serenae Auctor ut pacis lacrimosa in Orcum Bella relegat.
Angelus fortis Gabriel ut hostes Pellat antiquos et amica coelo Quae triumphator statuit per orbem Templa revisat.

Angelus nrā medicus salutis Adsit è coelo
Raphael ut oēs sanet aegrotos dubiosq
vitae dirigat actus: Virgo Dux
pacis Genitrixq Lucis Et sacer nobis
Chorus Angelorum Semper assistat
simul et micantis regia coeli: Praestet
hoc nobis Deitas beata Patris ac Nati
pariterq Sti Spūs, cujus resonat per oēm
Gloria mundum: Amen: V. Stetit
Angelus juxta aram templi: R. habens
thuribulum aureum in manu sua.
Ad Magnificat Antiph: Ingressus
Gabriel Angelus ad Mariam Virginem
dixit: Ave grā plena Dūs tecum:
benedicta tu in mulieribus:

Oratio:

Deus qui inter caeteros Angelos ad
annunciandum Incarnationis tuae
mysterium Gabrielem Archangelum
elegisti: Concede propitius ut qui festū
ejus celebramus in terris ipsius
patrocinium sentiamus in coelis
Qui vivis et Regnas:
Si celebratur in Quadrag. fit com: feriae:

Ad Matutinum: 1

Invitatorium: Regem Angelorum Dn̄m

Venite adoremus: Psalm. Venite Exult:

Hym. Ore sctorum decus Angelorum:

Si hoc festum celebratur post pascha dicuntur tres

psalmi subunalm Antiph. et additur Allā

Antiph: Dixit Angelus Gabriel ad Da=

nielem, Intellige fili hominis quoniam

in tempora finis implebitur Visio. Psl.

Dne Dns nr ut relig: alia festa sys 3 Nocte:

Antiph: Ecce vir Gabriel

v Maj.

quem videram in visione citò volans

tetigit me in tempore Sacrificy vespertini

et docuit me. Psal: In Dño Confido.

Antiph: Cumque Gabriel Loqueretur

ad me collapsus sum pronus in

terram et tetigit me et statuit me in

gradu meo: Psal: Dnē qs habitabit.

V Stetit Angelus juxta aram templi

R Habens thuribulum aureum in

manu sua:.

Ex Daniele Propheta

Lectio I c 9:

4

Ego Daniel cum adhuc loquerer et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israël et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro Monte sto Dei mei: Ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio cito volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini: Et docuit me et locutus est mihi dixitq: Daniel nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi qa vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem: R.

Cum oraret Daniel et confiteretur peccata sua et peccata populi sui: Ecce Archangelus Gabriel cito volans tetigit eum in tempore sacrificij vespertini

V. Cumq prosterneret preces suas in conspectu Dei sui: Ecce Archang.

Lectio Va.

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt
super populum tuum et super urbem sanctam
tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem
accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et
adducatur justitia sempiterna, et impleatur
visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum.
Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermo-
nis ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad
Christum ducem hebdomades septem, et hebdo-
mades sexaginta duae erunt: et rursum
aedificabitur platea et muri in angustia
temporum. R. Locutus est Gabriel Danieli
et dixit: ab exordio precum tuarum egres-
sus est sermo: Ego autem veni ut indicarem
tibi quia vir desideriorum es. V. Tu autem
animadverte sermonem et intellige vi-
sionem: Ego autem veni.

Lectio 3a.

Et post hebdomades sexaginta duas oc-
cidetur Christus: et non erit ejus populus qui
eum negaturus est: et civitatem et sanc-
tuarium dissipabit populus cum duce
venturo: et finis ejus vastitas, et post

finem belli statuta desolatio: Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: Et erit in templo abominatio desolationis et usq ad consumationem et finem perseverabit desolatio. R. Ecce vir Gabriel quem videram cito volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini et docuit me et dixit: Daniel nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres V: Gabriel fac me intelligere istam visionem: et venit et stetit juxta ubi ego stabam et ait ad me. Daniel: Gloria: Daniel!

In 2do Nocturno:

Antiph: Gabriel Angelus apparuit Zachariæ dicens. Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis nomen ejus Joannem: Psal: Coeli enarrant:

Antiph: Et dixit Zacharias ad Angelum: unde hoc sciam ego enim sum senex et uxor mea processit in diebus suis Psal: Dni ē terra:

Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare.
Psalm: Benedicam Dnum: V ascendit fumus aromatum in conspectu Dni R de manu Angeli
Sermo 1: Bernardi Abbatis Ex hom: De laud: Virg super missus: Lectio prima
Missus est Angelus Gabriel a Deo: Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione. quod ex ejus nomine palam intelligi datur: quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur: Et quia non ab aliquo alio forte excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo missus perhibetur: propterea ergo positum est a Deo vel ideo dictum est a Deo, ne cui vel beatorum Spirituum suum Deus antequam Virgini revelasse putetur consilium excepto dumtaxat Archangelo Gabriele: Qui utique tantae inter suos inveniri potuerit excellentiae ut et nomine dignus haberetur et nuncio:
R Factum est,

num Sacerdotii fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ antè Deum. Apparuit ei Angelus Gabriel stans à dextris altaris incensi. V. Cumque ingressus in templum Dñi incensum poneret, Dum consuetudinem Sacerdotij sui: Apparuit ei:

Lectio 2da

Nec discordat nomen à nuntio: Dei quippe virtutem Gabriel quem melius nunciare decebat quam hunc quem simile nomen honorat? Nunquid est aliud fortitudo quam virtus? Nam dedecens aut incongruum videatur Dominum et nuncium communi censeri vocabulo: cum similis causa. Aliter quippe Gabriel fortitudo vel virtus Dei dicitur aliter Angelus. Angelus enim tantum nunciationis, Gabriel autem etiam substantiæ: R. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam dicens: Ne timeas quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius

Joannem X Et Zacharias turbatus est
videns et timor irruit super eum: ait
autem ad illum Angelus Ne timeas:

Lectio 6ta

Opus Dei virtus et dicitur et est quia
forti armato qui suum atrium in pace
custodire solebat fortior superveniens
ipsum suo brachio debellavit, et sic ea
vasa captivitatis potenter eripuit. An-
gelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel
quod hujusmodi meruerit prærogativam
officii quo ejusdem nunciaret adventum
virtutis, vel quia Virginem naturā pavidam
simplicem verecundam nè miraculi no-
vitate expavesceret, confortare debebat.
Quod et fecit. Ne timeas inquiens Maria
invenisti enim gratiam apud Deum. Con-
venienter itaque Gabriel ad hoc opus
eligitur: imo quia tale illi negotium
injungitur, Rectè tali nomine desig-
natur: ℟ Ego sum Gabriel

qui adsto ante Deum: et missus sum loqui
ad te et haec evangelizare: Ecce eris ta-
cens et non poteris loqui usque in diem quo
haec fiant. V. Pro eo quod non credidisti verbis
meis quae implebuntur tempore suo: Ecce
eris tacens. Gloria Patri. Ecce eris:

In 3o Nocturno:

Antiph: Missus est Gabriel Angelus ad
Mariam Virginem desponsatam Joseph
ps: Cantate Dno:
Antiph. Gabriel Angelus Mariae dixit
Ecce Elisabeth cognata tua et ipsa
concepit filium in senectute sua ps:
Dns regnavit exultet:
Antiph. Suscipe verbum Virgo Maria
quod tibi a Dno per Angelum Gabrielem
transmissum est: ps: Benedic anima mea Dno:
V. In conspectu Angelorum psallam
tibi Deus meus. R. Adorabo ad tem-
plum sanctum tuum, et confitebor no-
mini tuo:
Lectio Sti Evangelii secundum Lucam.

Lectio 7a

In illo tempore: missus est Angelus Gabriel
a Deo in Civitatem Galilaeae cui nomen
Nazareth ad Virginem desponsatam viro
cui nomen erat Joseph de domo David:
et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Juliani Archi-Epi Toletani.
Lib. 1 contra Judaeos statim post principium.
Sacramentum illud septuaginta hebdo-
madarum de Christi Nativitate Daniel per
Angelum didicit: simpliciter et Zacharias,
apparente sibi Angelo Joannem filium de
se generandum audivit: et Maria Angelo
sibi praedicenti Christum ex se nascendum et
credidit et assensit: Haec tria per Angelum
dicta, et completa videmus. Jam quod solicite
inquirendum est utrum Angelus iste qui Zachariae
et Mariae apparuit ipse quoque Danieli illa
praedixerit. Hic Missus est Gabriel Angelus
ad Mariam Virginem desponsatam Joseph:
et expavescit Virgo de lumine: Ne timeas
Maria invenisti enim gratiam apud Deum:
ecce concipies et paries et vocabitur altis-
simi Filius. Maria cum audisset hortata

e in sermone ejus et cogitabat qualis esset
ista salutatio: et ait Angelus ei Ne timeas:
Lectio quarta
Equidem ipse Daniel in prophetia sua vo-
lumine, quando illa septima hebdomadarum
de Christi Nativitate per Angelum futura
cognovit; hic ipsius Angeli nomen evidenter
expressit. Ait enim; Ecce vir Gabriel quem
videram in principio cito volans tetigit
me et dixit: Daniel animadverte sermo-
nem et reliqua quae ibi commemorantur. Item
his temporibus per Evangelium Angeli ejus
nomen mirificum sic invenitur expressum.
Ait enim idem Angelus Zachariae: Ego sum
Gabriel qui adsto ante Deum et missus
sum loqui ad te et haec tibi evangelizare
R. Gaude Maria Virgo cunctas haereses
sola interemisti quae Gabrielis Archan-
geli dictis credidisti dum Virgo Deum
et hominem genuisti, et post partum Virgo
inviolata permansisti V. Benedicta
tu in mulieribus et benedictus fructus
ventris tui. Quae Gabrielis Gloria:
Quae Gabrielis.

Nona Lectio de feria occu: nisi transferatur post
pausa quod hinc dicitur sequens.

Lectio 9na

Quod etiam de ~~B. M.~~ Virginis partu sic in
eodem Evangelio legitur: Missus est, inquit
Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae
cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam
viro cui nomen erat Joseph de domo David
et nomen Virginis Maria. Iam ergo manifestum
est quod unus idemque Angelus Gabriel fuerit
qui et praefixa illa tempora Danieli de Christi
Nativitate aperuit et partum Virginis
praesentem esse monstravit. Ad tempus itaque
praefinitum occurrit et olim a se dicta operis
efficientia completa esse convincit et illic
fidelis in prophetia hebdomadarum et hic
fidelis per mysterium revelatum.

Te Deum Laudamus.

Ad Laudes et per Horas

Antiphona. Ingresso Zacharia templum
Domini apparuit ei Gabriel Angelus stans
a dextris altaris incensi. ps: Dominus Regnavit.
Antiphona Ait autem Angelus: Ne timeas ~~Maria~~
Zacharia quoniam exaudita est de
precatio tua:

Antiph. Ego sum Gabriel Angelus qui adsto
ante Deum et missus sum loqui ad te
Antiph. Gabriel Angelus locutus est Mariae
dicens: Ecce concipies in utero et paries
filium: et vocabis nomen ejus Jesum:
Antiph. Dixit autem Maria ad Angelum:
Quo fiet istud quoniam virum non cognosco?
Et respondens Gabriel Angelus dixit ei:
Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Al-
tissimi obumbrabit tibi.

Capitulum Dan: 9.

Ecce vir Gabriel quem videram in vi-
sione a principio cito volans tetigit
me in tempore sacrificii vespertini, et
docuit me: et locutus est mihi, et dixit:
Daniel nunc egressus sum ut docerem
te et intelligeres: Hymnus.

Placare Christe servulis Quibus Patris clemen-
tiam Tuae ad tribunal gratiae Patrona
Virgo postulat. Et vos beata per novem
Distincta gyros agmina. Antiqua cum
praesentibus Futura damna pellite.
Auferte Gentem perfidam Credentium
de finibus Ut unus omnes unicum
Ovile nos Pastor regat.

Deo Patri sit gloria Natoq. Dni unico
Sito simul Paraclito, In sempiterna
Saecula. Amen. V/ Stetit Angelus juxta
Aram templi R/ Habens thuribulum
aureum in manu sua.

Ad Benedictus.

Gabriel Angelus descendit ad Zachariam
Ait Illi: Vxor tua pariet tibi filium
Et vocabis nomen ejus Joannem et
multi in Nativitate ejus gaudebunt.
Ipse enim praibit ante faciem Dni
parare vias ejus: Oratio Deus qui int ete
Apt com. ferial. si celebratur in quadrag.

Ad Tertiam.

Antiph. Ad am. Ecce vir Gabriel.
R/ Stetit Angelus: Juxta aram templi
Stetit. V/ Habens thuribulum aureum
in manu sua. Juxta: Gloria Patri: Stetit
V/ Ascendit fumus aromatum in con-
spectu Dni: R/ De manu Angeli.

Ad Sextam.

Antiph. Ego sum Gabriel

Capitulum Dan 9.

Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir de-
sideriorum es: Septuaginta hebdomades
abbreviatæ sunt, ut finem accipiat peccatum,
et impleatur visio et prophetia, et ungatur
sanctus sanctorum. ℟ Ascendit fumus
aromatum: In conspectu Domini. Ascendit
℣ De manu Angeli. In conspectu: Gloria:
Ascendit: ℣ In conspectu Angelorum
psallam tibi Deus meus. ℟ Adorabo
ad templum sanctum tuum, et confitebor
nomini tuo: ℟ Nonam
Antiphona: Dixit autem Maria:
Capitulum Dan: 9:
Scito ergo et animadverte ab exitu
sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem
usque ad Christum ducem hebdomades
septem et hebdomades sexaginta duæ
erunt. ℟ In conspectu Angelorum
: Psallam tibi Deus meus. In conspectu ℣
Adorabo ad templum sanctum tuum. Et
confitebor nomini tuo:. Gloria Patri:
In conspectu: ℣ Adorate Deum ℟
Omnes Angeli ejus:

Vespera de Annun: B.V.M. sine Com: S. Gabrielis:
Ad Ann: e dupl. 1: classis ubi est in Bremia Inclord:
bi fit Com: sera: Rosso festum B.V. An: transferatur
tum in 2dis Vesp: S. Gabrielis oia ut in 1mis et Loco ultimi
Confitebor in toto corde A V In conspectu
Angelorum psallam tibi Deus meus Adora-
bo ad templum sanctum tuum et confitebor
nomini tuo. Ad Magnificat
Antiph: Gabriel Angelus ait ad
Mariam Non erit impossibile apud
Deum omne Verbum Dixit autem Maria
Ecce ancilla dni fiat mihi sedum Verbum
tuum Et discessit ab ea Angelus:
Oro ut supra: Notandum.